




V
B
J
C

Frid. Zamell

EPIGRAMMATUM

Libri XV.

ELBINGÆ

Typis BODENHAVSIANIS

Anno M. DC. XLIII.



Laurea, Sol oriens ſubjecti robore tigni,
Stella triplex, triplex pauſia noſter honos.
Hunc amor in Muſas vel ſuffragante rogabat
Nomine: quiq; dedit ſe quoq; digna dedit.

Frid. Zam.

Lector candide.

EManârunt Epigrammatum meorum libri quindecim, eo numero inſcripti. At ſi, quæ extra Martiæ tubæ ſonitum paſtorumq́; avenas pleraq́; cecini, ad hunc cenſum pertinentia adnumeres, facilè in duplo plures digeſſeris. Satisfeci amicis in luſu, in joco: numquid Tibi quoq́; Lector? Tu judicabis. Nusquam auſcultavi, nulliusq́; cenſuræ favorem eblanditus ſum, ut aures meæ demulcerentur irritè. Hoc Te volo: quicquid ſeces aut improbes, id audacter etiam moneas. Ego profiteri non erubeſco, multa in eſſe nec Tuâ exſpectatione digna, nec meo ingenio. Sed ſi venia fuit iis, qui à calente venâ calamoq; aſſeruêre; neq́; ego eâdem indignus ero, qui erga me bene anima-

tis

tis morem gessi. Quamquam ingravescente jam ætate ea præterea curarum laborumq; moles succedat, quæ pronum in hæc secessum non promittit; adnitar tamen, si vita erit, ut postquam non pauca Tuo an meo obelisco notata instar Ajacis illius spongiæ incubuerint, non absq; sale suo tersiora, serieq; continuâ succinctiora à me habeas. Interea exclamo: & quisquam hodie Poëtarum fastidiat eas voces?

Turba virûm, Latöe, Tuis libamus in aris.
Felix ille fuit, quincta qui parte litavit.

Candorem, Lector, præsta, & Vale.

Frid. Zamelius.

Frid. Zamell

EPIGRAMMATUM,

quæ post alia seorsim edita nunc primùm evulgavit,

libri V.

ELBINGÆ Typis Bodenhausianis
Anno M. DC. XXXIV.

Spectabili & clarissimo viro Domino
Friderico Zamelio Poetæ
optimo S.

Catullus, & Tibullus, & Propertius
Ad Hippocrenes flumen hos nuper jocos
Zamelii *Poeticos quùm viderant;*
Præ gaudio risêre, & autori suum
Cratera præbuêre plenum nectare:
Novos ut inde spiritus, & vim novam
Novis parandis lusibus resumeret.
Ergo, Zameli, *masculè teras iter,*
Quod orbitâ dudum suâ signant Tibi
Catullus, & Tibullus, & Propertius.

Georgius Lothus D. Med. P. Primarius, Facultatis Senior & p. t. Decanus, Serenis. Elect. Brandeb. in Prussiâ Archiater, scrib. Regiomonti Boruss: a. v. p. M. DC. XXXIV. V. Id. Julii,

Magni-

Magnifico & Nobilissimo Dno

IOANNI NICODEMO AB AHAUSEN

Commissario Regni Svedici per Borussiam Generali S.

CVm nuper ad Hircium amicum nostrum animi gratiâ excurrissem, alterumq; diem apud hospitem jucundissimum penè totum consumsissem; per Exquilias urbis suæ in hortos me suos introduxit. Qui si Mœcenatis opulentiam sumtuosis molibus non æquarent; at certè soli ingenio, & collium eosq; exornantium arborum amœnitate omnes villicantium delicias facile superabant. Nam & terra sponte suâ in herbas non fatuas se induerat, & quotidiani laboris nec contumax industria illius indolem ad decus speciemq; loci adjuvabat. Nec minùs (si oculorum saltem in voluptatem eas) celebrabat paradisum hunc fons aquæ limpidissimæ: quem eadem, quæ aperuerat, situs amabilitate adeo illustraverat natura; ut nisi in ipsius contumeliam nihil adstrueret artifex etiam sollertissimus. Iam prona erat dies, ac calor initio Sextilis intensior noctis adventu nondû in teporem abiverat. Ingressi sub ambulacro,

quale felicior anni proventus varii generis arboreis fructibus undiq; suâ serie coloraverat, spatium fecimus. Nec sermones erãt alii, quàm in quos ipsæ stirpes & plantaria de se invitaverant: donec me ille manu prehensum in ædiculã commodè medio horti extructam abripuit. Eam annosa vitis non tam pampinorum comis, quàm racemorum dependentium ubertate pulcerrimo adspectu obumbraverat. Vix mihi Hircius assederat, cùm subitò audacis facinoris rumor à pueris illatus est: ex quo in memoriam ille rediens non ita pridem domesticis suis intentati sceleris pauca de calamitate temporum nostrorũ præfatus in profundissimas cogitationes animum demisit, meq; vultûs sui asperitate repetitoq; suspirio fractum in easdem conjecit: ac derepente quasi eluctatus, fronteq; primùm curarum nubem abstergens, quin Tu Poeta noster, dixit, in medium aliquid habes, quo hanc nebulam penitùs animo discutiamus? Aderant mihi fortè pugillares, in quibus Epigramma inscriptum: quo cincinnatulis nostris (ut videbatur primò) os probè subleveram, in fine paucis versibus amantiũ vanitatem perstringens. Quod cùm legisset mecum, subridens Hircius; & multa talia condis, inquit: quæ si nobis invidere potes, insigni Te crimine adstringis. Ad hæc ego:

non

non ignoras, ô Hirci, quàm ſæpe non tam ex noſtro, quàm aliorum ingenio calamum ducamus: qui ſi temere in quoſvis noſtra profundimus; aut integritatis famam ea nobis adimunt, aut calumniæ morſus hactenus occultos in nos non leviter exaſperant:

—— —— —— vixq; aliâ Vates mercede laborant.

Tum Hircius digitum in horti Cuſtodem intendens, Ecce hunc, reſpondit, mi Zameli: cui ſuus loc⁹ datus eſt in illâ varietate hortorum meorum: quos pudicæ mentes utriûsq; ſexûs ingrediuntur. Hæ ſi vilitate aut nuditate ficulni iſtius dei offenduntur; habent quo avertant obtutus ſuos: nec exeſſe tamen eum patiebatur abſoluti horti ratio. Tales eſtis vos Poetæ: qui ſeu juvatis alios carminibus veſtris, ſeu delectatis; omnibus ſcribitis. Nec verendum eſt, ſi ad quorundam ſtudia aut Veneres non faciunt luſus veſtri, ne laude ſuâ careat apud doctos æſtimatores variæ amoenitatis conditor. Adde quòd quæ in Regibus fuſiore argumento perſequutus es; vix ab aliis, quàm ſolis Poetis leguntur, & quos Regum loco habetis, raris Heroibus. Nam quod ad Politicos noſtros; neminē illi de veſtrâ domo fere magnifaciunt, niſi & breviter ea, quæ edit, & argutè complexus ſit: in fiduciariâ nimirum ponentes gloriâ, quicquid hujus ad Epicos Tuos pervenerit: cujus in poſſeſſionē deinceps jure eat feſtivus Epigrammatarius. Cæte-

rum amantiſsimũ nominis Tui fautorem habes tam virtute quàm honorum cumulo eminentiſsimum Dominum ab Ahauſen: quo defenſore aut Tua non tanget livor, aut nullus erit. Hæc cùm dixiſſet, rogavit etiam; ut ſi omnia nollem, nonnulla tamen eorũ, quæ præter illa; quotquot hactenus ſibi videre licuiſſet; ἐπιγραμματίσας luſerim, hoc communi äere & luce donarem. De editione cùm perſvaſiſſet, facile de patrono poterat. Erat. n. alioquin obſervantiæ meæ teſtandæ erga Te, Magnifice Domine, quodam munere animus: a quo ea magnam partem profecta agnoveram, quæ offero. Nam cùm conclamatæ jam eſſent apud me Muſæ, Tu cum magno Axelio veluti poſtliminio in vitam revocaſti nomina hæc & Numina: Tu (etiam annuente illo) quibus liberiùs ſe mens noſtra exereret, auras dediſti: Tu conatus promoviſti. Lege proinde, fave, & tuere. Sic indies earum Tibi virtutum incrementum accedat, quas omnes in Te admirentur, Patria colat, ingenui Pöetæ æternis monumentis famæ poſteritatis commendent. Dab. Druſopoli anno noviſs. temp. M. DC. XXXIV. Cal. Decemb.

Magnificentiæ T.
obſervantiſs:

Frid. Zamelius.

LIBER

LIBER I.

Ad Lectorem.

ACcipe, quò miseros olim solabar amores,
Quale coit pluvio sub Iove, Lector, opus;
Quale dominatum, cùm sors mea tristior esset:
Quale & natales sæpe fatetur agros.
Qui Scyllam legis & Cadméæ funera gentis,
Lusibus his, Lector, tempora pauca dabis.

Ad Magnif. & Nobiliss. Dn. Ioannem Nicod. ab Ahausen General. Commiss. Regium.

TEuto Tibi pater est, Gothicas es natus in auras,
Nicodama nobis carus es atq; Gothis.
Tu Theodorici, quem prisca Verona celebrat,
Nicodama: totum hoc penè referre potes.
Penè licet tamtùm, penitus dum dicere malo:
Ecce Gothus pater huîc, patria Teutonia est.

In Romam.

Intulit in Latium Phryx magnæ sacra parentis:
Venit ab Idæis Mystica turba jugis.
Pontifices Phrygiam capiti sumsêre tiaram:
Qui dedit his lituos, augur Hetruscus erat.
Hinc alii ritus, hinc ambarvalia Missæ:
Addidit & velum legis Apella suæ.
Cùm Petrum Christumq; crepent Papalia Regna;
Vix aliquid veræ relligionis habent.
Miraris? fovit tot millia Roma deorum.
Difficile est, omnes dedidicisse deos.

Ad. Ant. Brusserium.

CAndide Brusseri, curas admittis edaces,
Prudentemq; animum non desinis antè querellis
Frangere; castigem quàm Te solator amicus.
Me quoq; fata manent eadem, pressiq; Tuarum
Curarum lembum: sævit mihi Iupiter idem;
Et risi & dolui. Sæpe emendare paratus
Fortunam adversam graviora pericula traxi.
Quid faciamus uterq;, rogas? occurrere ventis,
Difficile & stultum. Rectè committimus auræ,
Et regimus cursum ventis melioribus usi.
Brusseri perstare Deus, finemq; malorum
Expectare jubet, nec inertem credere sortem.

Absolonis Episcopi cavillum in Valdemarum Regem apud Saxon. Gram.

SI parcis fortes, Rex, objectare periclis;
Mars novus imbelles cogat in arma viros.
Majorem referet victoria parta triumfum;
Aut Tua momenti damna minoris erunt.

Vino curas abigendas esse, non mentem excurbandam.

PElle animi curas: mentem non excute vino.
Ne furere incipias, cùm dolor omnis abest.

In Papam.

SAturno genitis cùm sors sua cuiq; dedisset
Regna, quibus solus præfuit antè pater:
Necdum sidereas adiisset Iupiter arces,
Æquora Neptunus, Pluto Acherontis aquas;

Respiciens Papam, famulo quæ portio cedet?
Dixit hic, ætherium cui dedit urna polum;
Et maris & cæli consortem nemo ferebat:
Partem Erebi Papæ Pluto daturus erat.
Jupiter arridens, supereft Saturnia tellus,
Inquit, & amoti Regia prisca patris.
Hæc habeat. Quòd si magnum adfectârit Olympum;
Mittam ipse ad Stygias hunc Tibi, frater, aquas.

Nuptiis Martini Coriani

O fata à nostris possent mitescere votis!
Est rigor in fatis, ô Coriane, Tuis.
Non satis est, subitò vetulæ ditescere numis:
Non satis est, lautæ conjugis esse virum.
Pax & amor socii commendant fœdera lecti.
Deceptus puer es, cui malus autor erat.
Virginis in thalamos teneræ consultiùs isses.
Aptior est studiis vana puella Tuis.
Vix feret illud anus: posse hoc se ferre negabit:
Nilq; maritus ages, nî probet uxor anus.
Sed rerum ignaro rerum studiosa sit uxor.
Caussa hæc cognatæ (credo ego) gentis erat.
Addiderim punctum; si, quæ tricesima messis
Acta bis est illi, jam foret acta semel.
Tu puer es. Vestris nimium est discrimen in annis.
Odit, morosam quam puer audit, anum.
Si tamen à firmis sunt hæc ludibria fatis;
Sit vobis miseris lenius omne malum.

Federici Bartonii.

INsanos pueri nuper damnavimus ignes:
Cui juncta est consors caussa doloris anus.

Tu juvenem senior ducis, Federice, puellam.
Tu major natu es: cuî decus, esse virum.
Non neget his thalamis placidum sua pignera Numen.
Moris Elisa probi est. Pacis amabit opus.

In Romam.

MArtia Roma sibi gentes parére coegit:
Imperio mentes Murtia Roma premit.

Ad Casp. Cunradum.

TE quemcumq; ferant memores in secula mentes,
Versibus in nostris Actius alter eris.
Si tamen Aoniæ differs à Præside Cirrhæ,
Cunrade; inventor carminis ille fuit:
Tu numeros exples, cæptumq; ignobile claras.
Prima fuit Phœbi gloria, summa Tua est.

Pœnitentia vera.

SÆpe ego cùm reputo mea maxima crimina mecum,
Quamtaq; sit scelerum vindicis ira Dei,
Horreo: & inferni metuo male-conscius ignes.
Me miserum, ut vellem teste negare Deo!
Quid faciam? mutabo animum, veniamq; precabor:
Et verè, ostendam, me doluisse, Deo.

Pœnitentia non seria.

HEi quamta impietas sua crimina nolle fateri,
Rebus & afflictis dissimulare deos!
Usq; adeo infelix persvasio mentibus hæret,
Majus ut admisso crimine crimen alant.
Invitium lapsis non frustra irata minantur
Numina. Nam subitò pœna parata venit.

At

At miser Hæmonios optat depelleret succos,
Quodq; datum Magicâ credit ab arte malum.
Miserit interdum querulas ad sidera voces;
Irrita non puro pectore vota dabit.
Scilicet huîc possit spes certa affulgere, qui non,
Quâ debet, superos hac prece poscit opem?

Vitæ rusticæ laus.

QVàm rectè vivis, parvo si degis agello:
Si Te cura Tui maxima ruris habet.
Si Te nec furor exagitat, nec cæca libido:
Si nec quæ mala sunt plurima luxus alit.
Sera Tuo Lachesis ducet stamina penso:
Iratum metuent nec Tua tecta Iovem.

Ad villicam.

LActucam, ut volui, sevisti heic, villica, circum.
At nunc somniferum terra papaver habet.
Scilicet insanit varias pulvillus in herbas:
Luxuriem at promtâ fas prohibere manu.
Nunc tolera; at scapis maturo semine demtis
Hoc cave; ne repetat fertile semen agrum.

In nemoris partem ad Ducatum Borussiæ pertinentem Buncinensi lacu totam fere circumdatam.

HIc Tibi, Calliope, concesserit otia lucus:
Cujus ab iliceâ frunde nigrescit humus.
Illa satis viridis divina silentia præstet
Insula non penitus peneq; clausa lacu.
Iam Te capturâ recrearet nassa recenti;
Iam Phœbi afflaret mitior aura Tui.

Ad Musas.

Corpora dum torret flavasq́ Canicula messes,
Pieridas repeto Pieridumq́ nemus.
Adventate deæ, plectrumq́ adferte chelynq́,
Et tenuem viridi frunde operite domum,
Heic ubi & ipsa suâ est umbrâ gratissima laurus:
Quâ nemorum solâ gaudet Apollo comâ.
Pergite: jam videor præeuntem audire, sonumq́
Ausoniæ totâ mente notare lyræ.
Dulce est, Aonio meditari carmina plectro,
Et castis victum cedere virginibus.

Laus agriculturæ.

Delicias ego ruris amo: spernantur agrestes;
Et studeat fœdo civica turba lucro.
Primus homo domitos misit sub aratra juvencos,
Immissoq́ rudem vomere fregit humum.
Natum inter tribulos excussit semen aristis:
Id lectum sulcis credidit ille novis.
Lac pecori expressit, natisq́ alimenta paravit
Insani luxûs nescia prima parens.
Conjugij Deus autor erat, ruris q́ colendi.
Cultus agri probus est instituente Deo.
Laudavit ruris mecum Catharina labores.
Sit nobis, inquit, parvus at uber ager!

Christus Dei & hominum vinculum.

Nexus ut humanæ fieret cum Numine sortis,
Veri hominis mundi conditor ora gerit.
Tolle oculos mi anime; & si sentis Numinis iram,
Velle puta in nostrâ parcere carne Deum.

Ad Idiotam
de Prædestinatione.

POne fidem, si vis electam condere gentem.
Vis breviter reprobos noscere? Tolle fidem.

De pædobaptismo.

QVos vocat, atq; suo lustravit sangvine Christus,
Baptismi pueros quei prohiberet aquis?
Scilicet hæc Numen testantur signa reductum,
Iamq; hominem satius posse placere Deo.

Dictum Christi Lucæ VI. Date & dab.

SI dabitis, dabitur vobis. Hæc concio Christi
Posse negat sterilem præmia ferre fidem.

Miraculum.

CVm genus in nostrum bonitas sit Numinis ingens,
Cùm ruat ad Stygias impia turba domos;
Non Te munifico grates, homo, reddere Patri,
Pœnarum infandos nec reputare modos;
Hoc mirum magis est, homini quòd grata rependis,
Gratus at in rerum negligis esse fabrum.

Ad Theodoricum Boterum.

AD summam doctâ vigilas indagine lucem:
Cùm surgunt alii, strata Botere petis.
Pone acreis curas, magnumq; Botere laborem.
Nam debet longi temporis esse labor.

M. Felici Basio P. C.

VIvis adhuc Basi? multâ quem messe negatum
Nunc aliqua in Cattis vivere fama refert.

Tecum Varniacæ me Pallados umbra fovebat;
Tempore ab hoc nostri fœdus amoris erat.
Vnà Leucoreas accessit uterq; Camænas,
Quà canit Ausoniis mista Columba cycnis.
Rara Tuis studiis heic, Basi, gloria venit:
Me fato patriæ prima remisit hiems.
Pallæus nostras delatus nuper in oras
Sub nostrum Dominâ venit ab Vrbe Larem.
Heic pulcrum recolens nostri olim fœderis usum
Perpetuam multo junxit amore fidem.
De Te multa rogans, minimè cùm certa referrem;
Inveniam, si quà Basius, inquit, erit.
Scire hoc Te satis est, teste hac me vivere dextrâ.
Si certò superas, pluscula redde: Vale.

In Atticum.

ESse nihil dicis; quòd scribimus, Attice, versus.
Attice, quòd scribis Tu nihil, hoc nihil est.

De exemplis.

QVà prodire juvat, stimulent exempla priorum,
In reliquis passu non licet ire pari.
Nam favet ingenio plus diva volubilis illi,
Quod momenta sui plura vigoris habet.

Fraus Pontificia.

FLectere cùm poteris Iacobum, Hispania, Regem,
Plus rasi poterit verticis una manus.
Cùm coleret Tecum securam Gallia pacem,
Nom humili maduit regia cæde domus.
Mittite consortes æternæ credere pacis,
Qui pia posse coli Numina fraude putant.

In senem.

SEptima visit hiems Te quinquaginta peractis,
Inq; Tuis splendet nix veneranda genis.
Quid facis, ut doceant factorum exempla minores?
Clàm, quorum cœpit Te puduisse, facis.

Paullo Sansergio sponso.

ASpera seu redeant incultæ frigora brumæ,
Seu redeat pulso frigore Veris honos,
Nunc svadere gelu, nunc invitare volucres,
Ut thalamos ineant corpora bina, ferunt.
Veris æstatis medio, tædasq; jugaleis
Urges, Sansergi. Te Tuus urget amor.
Et flammam medio Tua Margaris haurit in æstu,
O quamtus vestro surgit in igne rogus!
Accipitis sortem majoris ab omine flammæ:
Cui potius vires quæq; procella dabit.

Sponsis quibusdam.

ET numeratis adhuc. Quid in ipsâ calculus horâ
Ad digitum scrupos, momina, puncta putat?
Mittite. Dum zygiæ resonant penetralia cantu,
Militiam vobis imperat alma Venus.
Ite animæ nequam. Puerorum riserit ætas.
Solve chorum fidicen. Turba molesta sumus.

Molitor jurans.

NUlla timet furax molitor perjuria: nullos
Esse putat superos. Sus illi pascitur ingens
Polline sincero: qualem vidêre jacentem
Ænéæ comites advecti navibus oras,

Ita-

Italiæ. *Multâ lentus facit ipse saginâ*
Sive trifur gressum seu curculio omnium acervi.

In Fabrum pusillum.

Q*Vi norunt penitùs Fabrum pusillum*
Festivi & lepidi nimis sodales
Omnes hunc perhibent virum esse acutum.
Illud nemo neget, negare nescit,
Qui novit leviter Fabrum pusillum.
Namq; illi caput est acuminatum.

In Ponticum.

I*Mperio & sceptris dignum Te, Pontice, dixit*
Nescio quis. *Servum credimus esse Tuum.*

Ad Somnum.

S*Trata quid hæc transis? cur non, dum cuncta silescunt,*
Accipiunt munus lumina nostra Tuum?
Deprime mî hos oculos, placidumq; immitte soporem,
Qui premis imperiis omnia somne Tuis.

Ad Geometras.

V*T rerum in serie Physicis prior orbita cœli est;*
Sic vobis poterat circulus esse prior.

Nuptiis Paulli Donneri.

D*Esine, Paulle, queri. Sortem non deseret illam*
Anna recepta polo-Res age, Paulle, Tuas:
Ursula jungetur? Tua Paulle negotia tractas.
Egregiæ mores Ursula matris habet.

Ad Staphylen.

N*On docuit, Staphyle, Te Naso magister amoris:*
Sæpe tamen loqueris, quas docet ille, notis.

Non

Non plus, quàm cauti nutus, Tua verba monerent.
Crusq; Tuas voces pesq; prementis habet.
Sunt verba in digitis: & mensâ scribis in udâ:
Deq; aliis scitè, quæ Tibi grata, refers.

Ad Barbaram.

QVid fles (incassum est) pereuntem, Barbara, florem?
Nescis, quòd vitium lumina flentis habent?
Pone supercilium vultûs, animiq; tumorem:
Neglectosq; priùs decipe blanda procos.
Sæpe quod in facie vobis Cytherea negavit,
Pensatur lingvæ garrulitate bonum.

Ad Claram Firmiam.

PEs brevis & strictum Clara est Tibi Firmia pectus.
Si facies esset; dos Tua tota foret.

Ad Staphylen.

AVdio difficilem, Staphyle, quæsisse parentem,
Vnde sit ille mei tam juvenilis amor.
Tu scitè: & non jam, sed cùm formosior esses,
Te mater juvenis cœpit amare pater.
Arrisit, si vera refers, misitq; rigorem.
O faciem in votis hanc gerat ille meis!

Ad eamden.

ECce miser, Staphyle, Te cara secutus amator
Non fugi longam solus inire viam.
Tu mihi Te abjunctam multâ regione putabas,
Et me jam vultu posse carere Tuo.
Hæc Te ego per nemora & ridentia prata requiro,
O Staphyle, & salvâ gaudeo parte mei.

De Poetarum amoribus.

HOc puer in ludo, quòd amet quoq; Iupiter, audit:
Audit & à Vatum versibus, esse deum.
Tunc vaga, nec firmæ rationis colligit ætas:
Nullum crimen habet, si deus ardet, amor.
Lascivos multùm versat mea turba Poetas.
Quid mirum est, Vatum si calet omne genus?

In Puellam.

O *Fatua, & nostro non digna jacere cubili,*
Vna tamen votis sæpe petita meis.
Quis furor incessit? quæ spes Te tam improba lusit,
Vt malles alii vivere nupta viro?
Sed seu jam quereris nondum conjuncta marito,
Vt fama est; sive hoc dissimulare potes;
Vlta nefas Venus est: nec magno fænore nobis
Prætulit incultum mater egena procum.
Nil mihi, cuî melior superest fortuna, negatum est.
Tu Tibi cùm thalami cuncta quiete negas.

De Staphyle.

HÆc est tertia, cùm meos amores
Non vidi Staphylen, minore luce
Lux exorta mihi: secuta cura est
Rusculum viride ac nemus quietum,
Et si non hodie ad Lares revertar,
Et carum Staphyles adibo limen,
Cras matris comes ipsa rus abibit,
Matris imperium sequi coacta:
Nec priùs repetet suos Penates,
Quàm Phoebus face septimâ recurrat.

Ibo

Ibo & nectaream meæ salivam
Hauriam Staphyles, superq; molles
Ambo colliculos manu vagabor.
Mox inter mediam subibo vallem
Lapsu præcipiti, & revertar illuc,
Quà descensus erat; merumq; sugam
Illud interibi, quod ipsa condit
Et dulcis Venus & Diona mater,
His ipsis labiis meæ à labello
Et lingvâ Staphyles & ore toto.
Ridebunt Venus & Diona mater
Inter tot placidas amationes,
Tot lusus teneros, puerq; mistus.
Isdem nequitiæ repertor omnis
Quàm meam Staphylen in arma trudet
Audacem, quibus erubescat antè
Tentatis, properè hæc inire bella!
Me isdem nequitiæ repertor omnis
Tum mî præsidio cavere noto, &
Materni in meditullium jubebit
Regni flectere plurimùm madentem
Dulcium imbribus osculationum.

Ad Cordulam.

COrdula, deformis formosa ministra puellæ,
Ah Tibi quàm vultus invidet illa Tuos!
Quàm timet à populo Te ponè sequente videri,
Ne præ se famulam grex juvenilis amet.
Addideris cultum; Tibi filia cedet herilis,
Et volet hanc speciem dotis habere loco.

De puellâ & juvene.

ADspiciens noctu fulgentia sidera virgo,
Hoc utinam, dixit, stella nitore forem!
Cùi juvenis: sed Sol fierem; Tu obscura lateres
Virgo tamen. Semper nam mihi juncta fores.

Ad Staphylen.

VRi me Staphyles amore dicunt,
Atq; oscli, quoties libet, tenelli
Melleam imbibere usq; me salivam.
Vno sed licet illud ore dicant;
Hoc tamen dubio sat ore dicunt:
Nec plus tam dubiis ferunt loquellis.
Cùm quærent, Staphyle, Tui parentes,
Aut instructa dolis soror Melæna,
Quid dices aliud? licere nondum
Hoc mihi potuisse per parentes.
Sed cave, Staphyle, ut negabis ipsum;
Neges me quoq; plurimùm Te amare:
Ne ficta omnia creduint parentes.

Ad cives.

VIx erat in terris Paullo præstantior alter:
Non erat hoc, Meliten qui coluêre, viris.
Sprevistis, cives, virtutem sæpe latentem.
Hoc minus est: plus est, optima corda premi.

In Codrum.

REs mira est. sordent violæ Tibi: fragrat id unum,
Ingenuæ nares quod bene olere negant.
Quid Tibi contendam? meliores provoco nares,
Olfactu dicent crimen inesse Tuo.

LIBER

LIBER II.

Ad famulas cùm hortum consereret.

Accipe serva manus, sed commiscere caveto
Semina: pulvillis singula redde suis.
Tunc Venerem accipiunt floreta, deamq; sequuntur;
Cùm viret in proprio quælibet herba thoro.

Ad Marcum Talæum.

Agrorum mutas faciem, & pomaria signas:
Quæq; levet curas, surgit amoena domus.
Insere, Marce, notæ stirpem melioris: at infrà
Succidat spurium sedula dextra nemus.
Usq; seca, donec fastigia fecerit arbos;
Cervicem inclinent brachia ne qua Tuam.
Tertius auctumnus maturum evellere lignum
Si jubeat, fœtus ordine pone Tuos.
Quinq; pedes & bis denos interjice binis:
Quadrati medium debet habere pyrus.
Hac ego lege mei pomaria consero ruris:
Dum motus animi liberioris amo.

Qualis stirps ad inserendum eligenda.

Si potes in cicurem, silvestrem respue malum.
Mite genus cœlo rectior illa subit.

Mespilus.

Mespilon accipiunt pyrus atq; cynosbatus. Illam
Cultorum melior turba probare solet.

Cydonia.

PVllulat ex imâ radice cydonia malus.
Propagamus & hoc insitione genus.

Persica & amygdalus.

FErt malè sub gelidâ vim Persica frigoris Arcto;
Fomentumq; soli molle prioris amat.
Si teneræ fuerint, stramenti ambire maniplis
Convenit. Expertum est, sic tolerasse gelu.
Hoc metuit nostris & lævis amygdalus oris:
Quam simili juvat à stirpe fovere modo.

Ad Manium villicum.

ARboribus postquam, Mani, consevimus hortum,
Neglectoq; priùs malus inhæret agro;
Si qua juvare genus possit cultura novellum,
Aut si quà nocuus serpere cancer amet;
Quotidie mecum anquires. Quodcumq; malorum est,
Scrutando sollers tollere cura potest.
Præterea nimium fundo prohibere calorem,
Et circùm irrigui spargere fontis aquam,
Neve pecus frundem decerpat, ponere sepem;
Hoc totum officii noveris esse Tui.

Ad famulas.

DVm famulæ lolium & spinosas vellitis herbas;
Sole sub hoc vobis causia tegmen erit.

Ad Manium.

DVm calor arenteis affligit plurimus hortos,
Vixq; aliquid succi consita malus habet;
Affundes gelidas, Mani, radicibus undas,
Duramq; irriguo fonte levabis humum.

Parce operas præstare tamen quâ parte diei
Torpentes æstu Phœbus hiulcat agros.
Optant non alio pomaria tempore succum,
Quàm quo corporibus longior umbra suis.
Hunc Lunâ perfer consumtâ penè laborem.
Speramus pluvias, cùm nova surget, aquas.

Ad eumdem.

AVt nimium, Mani, pluit; aut furit acrior æstus:
Dat pessum cultos sidus & imber agros.
Vnde salus rerum, si Mani nempe meremur,
Castigant atrox hæc elementa nefas.
Non satis est, Mani, colere agrum: est antè colendus,
Qui sua jussa sequi rerum elementa jubet.

Ad eumdem.

TEcta penes gelidas, Mani, quæsivimus undas;
Vsq; latens puras vena negavit aquas.
Tu multùm observa, multùmq; palustria tenta;
Si quà fons placidus parte subire velit.
Signantes geminum, Mani, damus ædibus unum:
Hortorum medio splendeat alter agro.

Ad eumdem.

SEptima cùm, Mani, cras luxerit hora diei,
Cœtus amicorum prædia nostra petet.
Tu malum cinges frundosæ parjete silvæ:
Quæ sola est genio commoda visa meo.
In mensâ nostri ne desint munera ruris;
Cancrorum inquires per scabra saxa domos.

Ad eumdem.

Sepibus

SEpibus invasit fractis pomaria taurus:
Et geminâ admittunt pervia parte sues;
Ille omnem hortorum latè populatus honorem
Lugentem stravit germine humum tenero.
Mitte alias operas, Mani: nunc erige sepem:
Ne pessum irati plura det ira bovis.

Ad eumdem.

FErventeis operas jam messis adulta requirit.
Canet ab ætheriâ spica perusta Cane.
Dum puro stimulans invitat ab æthere Phoebus,
Commoda tondendi tempora ruris erunt.
Mani, robustam messorum collige turbam,
Dum negat hoc duci spicea mater opus.

Ad eumdem.

MEssibus instabis, Mani, de nocte ligandis,
Lentorem quando rore cadente trahent.
Nunc ubi Sol radiis geminat ferventibus æstum,
Sub sociâ coeat spica revincta manu.
Compositis decimus cùm surget acervus aristis,
Ientatum post me quemq; venire jube.

Ad Manium.

INjecêre moras urbana negotia, Mani:
Et voluêre Tuam prædia nostra fidem.
Vt caveas, aliquam mea ne pomaria noxam
Contraherent, scis in partibus esse Tuis.
Dum redeo, crevêre Tuâ contagia culpâ,
Et sedet in tenero fœda patella libro.
Circuit arrosis ramalia carcinus extis:
Et metuit celerem tacta medulla necem.

Dum

Dum quæro affectas amoto cortice fibras,
Vnguine Pilumni, quà data plaga, fove.

Ad Præst: vir. Ioan. Bochmanum M. D. amicum de donatâ sibi tabulâ, in quâ effigies ejusdem!

EN dona illa papyrina, illa dona
Quæ Tu, Iane, mei probas amore,
Atro sepiolæ peruncta succo:
Queis Tu largior assulas rependis,
Querna munera: nempe quæ fatendum est
Scito à peniculo licere pluris.

In δωδεκάθεον cænam Augusti.

CÆsar mitte deos penum vorantes
Romani populi, famelicosq;
Servos pelle domo. Negant Quirites,
Dici Te patriæ patrem mereri,
Aut regno Superûm favere Numen;
Si sumtum facias deos in ipsos.

Nuptiis Ottonis Balfindi.

SÆpe mihi puero ludens Tua Barbara nupsit.
Oscula tunc pupis vanaq; verba dabat.
Tunc caput ornabat, pueris ut sponsa placeret.
Quis dubitet, talem velle placere viro?
Nunc thalamos Tecum veros, Otto, intret; ametq;
Pupos, qui possint ore referre patrem.

Ad lectorem.

ISta probi moris, satis hæc sunt improba, dicis:
Et tamen hæc iterum, rursus & illa legis.

Ede mihi, quare relegas mea carmina, lector?
An Te delectant singula, sive juvant?
Sed Tibi lecta placent, quæ Te fecisse puderet.
Hic mos est Vatum; ludere, non facere.

Calumniari dementium esse.

IPsa suos mores insana calumnia damnat:
Sæpe, ubi jam cœpit desipuisse, dolet.
Sæpe viros lacerat, quorum de stirpe nepotes
Famosi posthac carminis autor habet.
Et mihi durus erat, cujus post funera proles
Sanior in crimen noluit ire patris.

In Muffulum.

DAs cœnam nobis, & zythum Muffule ponis:
At Tu non zythum, sed mera vina bibis.
Utq; bibas tacitè, convivia sæpe relinquis:
Et nova surgendi caussa subinde datur.
Muffule, non bene tot Tecum cœnamus amici;
Hoc si, quod solus Tu bibis, olfacimus.

De Bavio testatore.

MIllia cùm centum Bavius legasset amicis,
Exhæres, dixit, filius esto meus.
Sed quid obæratus nato bona cuncta negavit;
Et dedit hæc aliis, quæ dare non potuit?

De nomine GUSTAVI MAGNI.

GUstavum *nuper dixit sua patria* Magnum.
Addere cur voluit, si satis illud inest?
Plus vel in Augusti *converso nomine prostat,*
Quo nullum Ausonio majus in Orbe fuit.

Au.

At quia Gustavum *non dicimus ore Latino;*
Fas erat, hanc Gothicum nomen habere notam.

Thalamis Ioachimi Vallammeri.

VAllammere, Tuis ridet sors optima tædis;
Propositi dum stat causa tenorq; Tui.
Numen habet melius, quàm quo confisus adulter
Trojus Atridas misit in arma duos:
Qui Grajas acies duxêre ad mœnia Trojæ,
Excisum Assaraci sumta per arma domum;
Cessêre illiciti flammis ultricibus ignes.
Damnarant turpes Numina justa faces.
Transisti Syrtes vani securus amoris:
Quò celerem vertit prona juventa ratem;
Aurea neglêxti Iunonis regna beatæ.
Vix juxtà positas spreverit alter opes.
O magnam mentem juvenili in pectore! cuî nil
Esse probum potuit, mens nisi summa probet.
Lecta pia est consors: non qualis ab indice vultu
Arguitur, sed cuî res facit ipsa fidem.
Sunt ea præterea, quæ non contemnere possis.
Ducitur è viduâ patris Elisa domo.
Lustra duo jam sunt, matris cum funera flevit.
Tutata est viduam per duo lustra domum.
Dat genitor dotem: quæ si non maxima dici
Possit; at est satis hæc, si satis ipse Tibi es.
Quæq; illi facies, si non pulcerrima, pulcra est.
Specta animum: poterit Tyndaris esse minor.
Gratulor æquales tranquillo fœdere tædas.
Vix optem: minus est, tam bene velle Tibi.

Ad convivas.

Hanc mihi vina diem, convivæ, dulcia frangent,
Implebitq; meos uva Latina cados.
Mittite quæ vestras obducunt nubila frontes:
Inter vasa frequens parva culullus eat.
Replete urceolos siccos, & poscite vinum,
Quodcumq; in totâ nascitur Italiâ.

Ad M. Barth. Vilelmium P. P. Regiom.

INtravit nostros matrona decora Penates
Hos memorans, conjux quos mea narrat, avos.
Hinc didici adfinem Te, quo ducente Magistro
Erudiit mentem culta Toruna meam.
Vilelmi à dIs est, ut pectora nostra coirent,
Pristina fœmineam jura novasse fidem.

In Ponticum.

POstico capitis calvaster, Pontice, fias;
Extemplo totus, Pontice, calvus eris.

Solidam è literis gloriam affectantem cum rerum scientiis lingvæ studia conjungere debere.

QVisqis amat doctæ subsellia prima cohortis,
Cum rerum studiis optima verba probet.

Ad Manium villicum.

FRigoribus, Mani, crustas duxêre lacunæ:
Integit & vites multa pruina meas.
Ne noceant tenero subeuntia frigora ligno,
Sed placidos succos dulcior uva trahat;
Da sulcis, circumq; fove: nec parce labori,
Quem parte hac cœli Parrhasis Vrsa probat.

Brassica.

IVxta Lenæam seritur malè brassica vitem:
Si qua fides, cui tam sobrius hortus erat.
Capreolos olerum foliis mea vinea nectit.
Quàm sæpe hoc dico: vana ea lingva fuit.

Quercus in agro F. F.

VIdimus excisæ coeuntia robora quercûs.
Transiit hæc æger matre jubente puer.
Heic ego nescio, quæ sequior miracula sexus
Suspiciat. Puerum convaluisse ferunt.

Ad Manium.

GRandibus auctumnus donat me septimus uvis:
Et Tua, Bacche, omnis munera vitis habet,
Vna sed hæc superest, tot Mani assveta per annos
Ingentem sterili palmite ferre comam.
Parte seres aliâ. Si curam spreverit ultrà;
Ingrato nolim pondere sudet ager.

In Iuliam.

VEstitum toties mutas malè, Iulia, dixi:
Et frustra sumtus tot periêre Tibi.
Cùm me sors reliquis componat avita puellis,
Me cultu dignam simpliciore putes?
Sic inquis. Sed cùm tua mens, quæ lubrica, nunc hoc
Nunc illud reprobet, Iulia; non levis es?

Ad Tironem.

VT, quæcumq; legis, memori quoq; pectore serves;
Fac placeant animo, dum legis, illa Tuo.

In Ponticum.

Est modus argento, nostros ut prosit in usus;
Tu sine fine tamen, Pontice, quæris opes.
Sic emis ut nummo si quid sit carius uno,
Luminibus sedeat plurima gutta Tuis.
Sic quò plus augent nova vectigalia censum,
Hòc minus obscurâ nocte quietis habes.
Pontice, semper eges: & quò Tibi copia major,
Hoc stomachum victu pauperiore domas.
Esse hoc cùm nolis, quod idem tamen esse laboras;
Anticyram mitti, Pontice, dignus eras.

In Christophorum.

Christophore, hoc ipso si non vis nomine dici;
Cœliferi Atlantis nomen habere potes.

In Hattonem.

Grandia cùm stupeant alii molimina rerum;
Miramur libros non tamen, Hatto, Tuos.
Absumis vigiles in scripta ingentia ceras.
At risum è doctis quilibet inde capit.

In Lippum.

Dum virtute cares, aliquid tamen esse laboras?
Lippe, gener debes principis esse viri.

Ad Magnif. & Nobiliss: Dn. Ioan. N. ab Ahausen Com. R. Gen.

Tractant, Iane, mei Tecum diversa tribules:
Rem patriæ, leges, bella, tributa, modum.
Delectant placidæ nos otia sola Camœnæ:
De solis loquimur (sic ais ipse) libris.

Nicodama, mecum hæc æterno transige pacto.
Exanimant Musas dura tributa meas.

Parcendum teneris auribus.

VErba movent animos: verbis corrumpitur ætas,
Quæ nullum verbis credit inesse nefas.
Vos teneras patres hæc instillate per aures:
Semina quæ morum, quæ pietatis habent.

Anum ducendam non esse.

QVisquis sollicitis gaudet tabescere curis,
Seq; cupit lentè perdere, ducat anum.
Horrent Tartareos mortalia pectora fratres:
Rixosam Stygius Iupiter horret anum.

In Improbum.

TV licet usq; meam sugilles, improbe, famam,
Et famam captes nominis inde Tui;
Non tamen in versu stabunt Tua nomina nostro:
Nec leget hæc per me, qui mea texta leget.
Sis aliquid, sis hoc in curtâ Glaucidos orâ,
Pectora dum cœlo me peregrina vehant.

In sutorem.

ADspirat quidam civiles sutor honores:
Iamq; ambit fasces, & loca summa petit.
Stulte, quid adfectas? non rite hæc munia sutor
Tractat, & ad clavum non bene cerdo sedet.
Quod potes, hoc aliquot sutores discitis annis,
Rem populi rectè, qui didicêre, gerunt.

LI.

LIBER III.

Ad Magnif. & Nobiliss:

Dn. Ioannem Nicod. ab Ahausen Commiss. Reg. in decursu anni M. DC XXXIII. pro felici instantis ingressu.

ANnus in anguigerum redit actis mensibus orbem:
Incipit & cælo longior ire dies.
Vota volant passim. Tibi singula, Iane, precamur,
Quæ populi major, quæ solet ordo minor.
Hoc addam. Vixti septem cum conjuge menses.
Annorum virides vivite tot decadas.

Pauperum mores & vota.

PEctoris angusti miser est, nec cogitat amplum,
Deq; cibo & potu pleraq; verba facit.
Quid noxæ in famulo, quid in ipsâ conjuge, narrat;
Et modò vicini divitis optat opes.
Dilutumq; bibens, quoniam dI plura negastis,
Cum pane hoc rubido sit mihi semper ait;

In Isaldam.

MOris, Isalda, probi vir nil desideret in Te.
Sunt & quæ summis laudibus ipse vehat.
Cùm redit alma dies, venereris Numina votis:
Fundis ad hæc sanctas Sole cadente preces.
Fida Laris custos, consors jucunda mariti
Nata domi relevas tædia, nata foris.
Proq; modo rerum turbæ misereris egenæ.
Non dici pietas sic Tua ficta potest.

Non

Non probat hoc unum, forsan damnaverit alter;
Quòd meliore canes pascis, Isalda, cibo.
Hunc quoq; da miseris, miseræ dum copia turbæ est.
Major, Isalda, Tuæ laus pietatis erit.

Ad mentem suam,

cùm etiam ab amicissimis desertus esset.

DEsine Te vanis, mea mens, turbare querellis.
Namq; minus patitur, qui bene ferre potest.
Siq; Tuam in sortem demissum Numen ab alto
Nil temerat dicti; crux Tua lenis erit.
Fide Deo, quassumq; Larem committe jubenti.
Si neq; sic fallit; sub cruce palma Tua est.

Ad amicum cùm census ageretur.

PArce Larem exiguum lautis componere fundis.
Patribus annumeror: sed mihi census abest.
Sorte premor Vatum: sunt turba miserrima Vates:
Nec semel attritas sors vaga reddet opes.
Quid me sollicitant acti feliciter anni?
Ter mea funesto res lacerata rogo est.

In quædam suorum Poematum.

ITe malè excepti quondam mea cura libelli:
Ite procul: rapidi vos ferat unda maris,
Aut fera Sicaniis depascat flamma sub antris:
Nec cœlo reddat lux qua vel aura suo.
Fortè quis hæc olim populi jactabit ad aures,
Se penes ingenii texta latere mei.
At nota sit nostri nota sit certissima versûs:
Autorem in vitâ non tacuisse suum.

Ecce quod ingrati poterat superesse laboris,
Igne cremo, flammas hac animante manu.
Hei mihi! cur nostros ignes & flumina lusus,
Queis vitam melior caussa dedisset, habent?

Elbinga ad vicinos.

QVid meus admisit, cognata Borussia, civis?
Quæ veteres geminat tam fera caussa faces?
Tu nostris lætare malis, aut sæva minaris,
Aut Laribus metuis si qua timenda meis.
Te spectra & diræ, Te visi sangvinis imbres
Communis poterant admonuisse mali.

In Longurionem:

OMnia, Longurio, Tibi sunt longissima. Non hoc,
Peccarunt quoties inguina, lingva tacet.

De Paullo.

PAullus Aristotelem jam triverat atq; Platonem:
Iam veteres omnes legerat Historicos.
Volverat & patrios complexa volumina Reges,
Et quicquid geminâ parte Thuanus habet.
Accessit Latias ac quas Arar alluit urbes,
Et curto didicit molliùs ore loqui.
Non tamen esse potes, dixi, quod Paulle laboras.
Civilem cultus Te Tuus esse negat.
Vestibus est usus, quas quælibet aura pererrat,
Ac cubito refluas secula nostra probant.
Sumtus & est capiti spatiosâ pileus orâ:
Quæq; subest mento, barba tetendit acum;
Exteriora dedit ferri per timpora cinnum.
Civilis populo judice Paullus erat.

In

In Obtrectatores.

SVstinui dudum vestras, mala pectora, linguas.
Cedite. Robustâ sumsimus arma manu.
Non vincar numero. Nam pro me Numina pugnant.
Pars animos implent: pars mea texta fovent.

In V. Emblemata vexillorum R. S.

In Coronam.

QVamtus honor Regni, cujus diadema sub unum
Consona diversæ pectora gentis eunt!

In Pomum Aureum.

SVnt validæ vires, & firma potentia Regni est,
In se Orbis faciem quod redeuntis habet.

In Sceptrum.

REgibus asseruit terras divina potestas.
Hæc sceptra, hæc leges imperiumq; dedit.

In Gladium.

POena sit ut scelerum, ne sint sine vindice justi;
Terrarum dominis tradidit arma Deus.

In Clavem.

POrtarum claves hüic desuper annuit æther,
Prælia pro causâ qui meliore gerit.

Laus villæ Stutofianæ
in Neringiâ Borussiæ littoralis insulâ.

IPsa locum eligeret Venus hunc Amathunte relictâ:
Quem coluêre Patres, Urbs Gedanæa, Tui.
Hinc Habus, & septem discretus in ostia ripam
Abluit & placidas Istula volvit aquas.
Inde ab arenoso Neptunum est cernere clivo:
Nec procul est tutum littus, & unda maris.
Colle sub umbroso, tumidum qui despicit æquor,
Nereidas vidi ruricolasq́ deos.
Vidi ego, cùm tacito fleret Rex æquoris antro
Alcyonen veteres Laodicenq; faces:
Phorcyda cùm caneret formoso crine Medusam:
Qualis erat, nondum cùm ferus anguis erat.
Illo sæpe nurus sibi Dantiscana placebat,
Sive parem studiis seu comitata virum.
Sæpe graves animi nemorum jacuêre sub umbrâ,
Membraq; gramineis composuêre thoris.
Tunc festos egêre dies, curisq; solutis
Prolapsi ad molles vina bibêre jocos.
Inter purpureas radiant heic succina conchas:
Quemq; foco mittas, copia piscis adest.
Mollior è fluvio est, si munera negligis alti,
Et fulicæ pingues & fluvialis anas.
Gratarum pinus inter sunt lustra ferarum.
Heic natæ fruges dant Cereale merum.

Convivium insipidum.

ACcubui mensæ cari invitatus amici.
De dapibus quæris? multa ferina data est.
Non illum, quem donat Arabs, spirabat odorem.
Fœtor erat, qualem nulla latrina ferat.
Adde quòd hos fugimus, Regum quod mittit ad aulas,
Setoso quisquis retia tendit apro:

Corni-

Cornigerum cujus sternunt venabula cervum,
Quiq; feræ primâ de nive signa notat.
Vidit dißimulans stomachi fastidia nostri
Hospes, & heic nigrum jus Tibi, dixit, habes.
Sangvis erat tenui leporis cum viscere coctus.
Abstinet à quovis nostra cruore domus.
Sensit & hoc, pernamq; dedit: quâ prandia nosti,
Calliope, Vatem ducere sæpe Tuum.
Visa quidem procul est regali digna palato:
Vt tamen admota est, fœtida tota fuit.
Corrosæ partes hærebant oßibus ægre:
Sub pulpâ turbæ busta nocentis erant.
Ipse mihi massæ ponebat olentis ofellam.
Quâm stetit ambiguo tunc mea vita gradu!
Non dubito in facie nullum mansisse colorem.
Corripuit subitum nam mea membra gelu.
Cantharon aptabam vires sumturus ab haustu.
Potus acetosi vappa saporis erat.
Olfeci primis immitia pocula labris.
Vidit & hoc ipsum, meq; bibisse nihil.
Quid Tibi vis, inquit, si respuis omnia? dixi:
Ne peream, mensas aufer, amice, Tuas.

De urbe quâdam Borussiæ.

OTia lenta satis si quæris, amice Bahuri;
Quà medium terræ est, rura Borussa petes.
Vrbs illic, quâ nil aliud rogat incola civem,
Quàm quota post sumtas iverit hora dapes.

In album Medici.

SCrutari fibras hominum, renumq; latebras,
Humanæ vix est conditionis opus.

Plus est, affectæ medicè succurrere parti,
Et ferre optatam, cùm rogat æger, opem.
Vivet ab hac famâ semper Philyreius heros,
Disq; draco superis par, Epidaure, Tuus.

Ad Iuliam.

DVra procis fueris; durißima, Iulia, ne sis.
Si flecti poteris; laus Tua major erit.
Cùm Tibi sit facies, quæ Cypride digna fuisset;
Supplex fit formæ nostra juventa Tuæ.
Ferrea si perstas, si nemo litaverit olim;
Tot juvenum nemo sacrificare volet.

Ad Thurium pædagogum.

ODisti si quos Mystarum insania ritus
Condidit: hosq; sequi corda tenella veto.
Ne tamen antiquas fraudes hæc nesciat ætas;
Errorum causas materiemq; doce.
Quid metuas fictos Grajorum tradere divos,
Ne prolem imbuerint sacra profana meam?
Nil Hippona suo temeratum in Præsule vidit.
Legit hic Hetruscos Æmoniosq; libros.
Respice Tarsensem, qui raptus ad æthera, Paullum.
Volvit & hic Vatum carmina, resq; deûm.
Non potuit non nosse Iovis vel furta vel astus,
Quicquid & ascriptum de Ganymede fuit.
Sæpe ubi Gnosiaci selegit dicta Poetæ;
Legit & Ægiocho vota sacrata Iovi.
Non sapiunt fatuos, Thuri, mea secula Cretas:
Ridet ad Europæ virgo puerq; bovem.
Sunt qui Grajugenas audent proscribere Vates.
Quid fiet, Thuri? manca Poesis erit.

Familia exsucca.

VRbe meâ domus est: quam cum consorte maritus,
Et quatuor fratres, & soror una colit.
Suntq; ministrantes pueri duo, totq; puellæ,
Sub Lare quæ curant interiore focum.
Tam gracilis turba est, ut pugno presseris uno:
Nec, quamtum cucumer succi habet, exprimeres.

In dicasterium.

HÆc domus est Themidos: quam dissona turba frequentat:
Quam dolor & livor lisq; sonora subit:
Quâ tetricæ plectunt commissa piacula leges,
Ac sceleri statuunt reddita jura modum,
Parsq; ITA pars NON EST dubio sub judice clamant,
Et juvat attonitos vendita lingva reos.
Hic locus Aoniæ nescit secreta Camœnæ,
Aut nemora & fontes lene-sonantis aquæ.
Iste mihi strepitus jam quintum terminat annum.
Solvite me, Patres: detur abire foro.

De Myrtillo.

AVre caret dextrâ Myrtillus, non caret auro:
Deq; viro fama est ebria: dives homo est.
Ajunt formosæ complexibus esse potitum.
Munus id est auri. Nescit ab aure dari.

In Fresium.

VErsifices corvos miraris, homuncio Fresi.
Nil mirum, Phœbi fingere carmen aves.
Te potiùs miror promittere maxima, Fresi.
Nil miror, curtam Te genuisse fabam.

In

In Muffulum.

Socraticum quid habes: certè hoc es, Muffule, vultu:
Nec Tibi Aristotelis, Muffule, gibbus abest.
Sunt & Aristonidis scapulæ cum pectore latæ:
Suntq; aures, Flaccus quas putet esse suas.
Hæc laudatorum cùm sint Tibi membra virorum;
Nec formosus homo es, Muffule, nec sapiens.

In cœnam Alpidii.

ALpidius cœnam nobis dedit, abstulit agrum.
Ne posthac tamti cœnem ego, cœno domi.

De Eurydamante pugile.

POsset ut Eurydamas (palmæ quæ tamta cupido!)
Victorem ingenti laude referre pedem;
Sorbuit excussos hostili verbere dentes.
Fugit ab hac luctâ sensus & ipse dolor.

Sacerdos & Eques litigantes.

ET Mystes & Eques tractabant prælia lingvis.
Dumq; Equiti non vult cedere Mysta Dei,
Subjicit: I, cura pistollas, improbe miles.
I papa, postillas excute, dixit eques.

In quemdam.

QVid Tibi cum viridi, cantorum pessime, lauru est?
Quid clypeos ornat dives oliva Tuos?
Quis Sol emergens Vatum Te miscet acervis?
Quid commune meæ deniq; laudis habes?
Mitte leves motus: sunt hæc insignia Vatis:
Quæ stirps æterno munere patris habet.

Elbin-

Elbingæ incolam quid nosse oporteat.

SArmaticos nescire sonos, moresq; Gothorum
Elbingæ, est animâ penè carere viri.
De lingvâ repeto caros monuisse parentes.
Non potui in duros flectere labra sonos.
Quid probet Arctoo genitus sub sidere, novi.
Simplicitatis amans fasq; fidemq; colit.

Ad Iuliam primâ hieme.

ADspice tam fluxum silvæ frundentis honorem:
Vtq; pruinoso terra sit alba gelu.
Transivêre dies, quibus esse sub arboris umbrâ
Dulce erat, & molli ponere corpus humo.
Iulia, si formam Tibi flos dedit integer ævi;
Auferet hanc ætas, aut citò summa dies.

Ad eamdem.

QVâ placeas in veste mihi, mea Iulia, quæris:
Ingenuè dicam: plus mihi nuda places.
Sed Tu de tunicis, de cinctu Iulia quæris.
Quâ satius placeas, hæc Tibi vestis abest.
Sume, quibus Circe corpus velabat, amictus:
Qualibus est Doris, qualibus usa Thetis.
Pelea cùm sensit, jacuit non nuda sub antro.
Iulia, crede mihi: talis amictus erat.
Induitur tali, qui regnat sorte secundâ,
Et maris immensi Nymfa secuta deum.
Miserat hanc Latio Memphis Nilotica telam:
Romanæ populo quâ placuêre nurus.

De carminibus Fatisci.

ÆDibus incensis, quas incolit advena Marcus,
Iam valida affusis flamma resedit aquis.
Mansit hero res salva suo: periêre Fatisci
Carmina. Quàm mendax condidit autor opus!
Scribere fert animus, quæ non ferus auferat ignis.
Hæc (bene si memini) cœpta fuêre libri.

De urbe quâdam Borussiæ.

ORa Borussis habet præclari nominis urbem:
Quam patrii totam fluminis ambit aqua.
Pridem opus inceptum nunc est in fine laborum.
Vndarum satis est: jam mera nemo bibit.

In cauponem ejusdem urbis.

COnqueritur caupo, cellam subsidere in undas.
Res facit ipsa fidem. Diluit unda merum.

In Popponem.

POppo in me ridet, quod non damnaverit alter.
Non mirum est: mores ardelionis habet.

Ad Magn: & Nobiliss: Dn. Ioan. N. ab Ahausen C. R. inter intensissimos calculi dolores.

IAne, meos dignum pectus trutinare labores,
Seu nostrum vivat seu moriatur opus:
Da veniam, si non sapidum libavero Tecum
Nectar, & ambrosias nocte ruente dapes.
Æger & affecto geminos traho corpore soles.
Quà spina in lumbum desinit, excrucior.
Nostra crucem patriâ dicit Germania lingvâ.
O quamtum est, illâ parte dolere, crucis!
Quærimus innocuos Medicis svadentibus haustus.
Quod gelido coxi sub Iove, crimen habet.

Qui leges nostræ qui mœnia condidit urbis,
Te potu Cereris limpidiore beat.
Candide Nicodama, non hunc gravis amphora poscit:
Da mihi, quod relevet terq; quaterq; sitim.

Ad eumdem.

ME miserum, quamtos cogor perferre dolores!
O utinam hæc vitæ summa sit hora meæ!
Sic ego: cùm molli posui mea membra grabato,
Et stetit ante meos turba ministra fores.
Attulit hac Libycum, Rhodium manus altera nectar:
Illata est thalamo bina lagena meo.
Sic voco, dum Venetæ dum nostræ nomina lingvæ
Horreo, littoreus quod Tibi Teuto coquit.
Quid, rogo, vester herus? languet, retulêre ministri,
Non requies illi nec sopor ullus erat.
Ad superos primùm misi mea vota benignos:
Sit salvum hoc, dixi, Numina magna caput;
Inspexi fusos exin Tua dona liquores,
Et Medici sumsi de præeunte manu.
Est dolor, est ingens! discam tolerare ferendo.
Vix aliquâ in noxâ, quod toleramus, erit.

Quales Ecclesiæ ministros esse deceat.

VEra docete viri, data queis Mysteria Verbi;
Vestraq; promoveat vita salutis opus.
Commendet vestrum divina modestia pectus.
Qui Christi comes est, ambitione vacet.
Turpe est Pastori, qui curat ovilia Christi,
Mentiri titulos, & dare verba gregi.

In Oddonem.

HOc quod habet spernit sexagenarius Oddo.
Ægrotat: spernit quod suus hortus habet.
Iam Syriæ ficus, jam poscit apyrina Mauri.
Ægrotet meliùs Syrtibus in mediis.

Ad Amplis: virum Georg. Lardingium Secret. Judicij Regii.

OPtime Lardingi mihi juncte prioribus annis,
Cujus adhuc nostro pectore durat amor,
Quei porrò factum, quòd nullo jungimur usu?
Non temerata fides, nec via longa facit.
Sæpe teris soceri vicinum limen amico:
Cur nostram ingrederis non aliquando domum?

Ad Nic. Cosmium.

IGne novo sudat fugientis portitor Helles:
Soleq; jam Pisces frigida signa carent.
Pone graves curas, dum vernant infera mundi;
Dum ridet, Cosmi, Phœbus in orbe suo.

Vencesilao Clementi Poetæ claris. amico.

VSq; lates Clemens? quis Te tegit angulus Orbis?
Orane Te Batavis, sive Britanna fovet?
Seu Te Gallus habet, qui fœdera nostra secutus
Austriacas duro Marte fatigat opes?
Hæcne fides Tua rite data est? si plura recusas,
Vivit adhuc Clemens, tot tamen ede notas.

In Aulum.

IPse mihi videor non esse Politicus, Aule.
Aule, quid hæc mussas, quæ mihi nota satis?
Crede tamen, me cras, quod jam negor esse, futurum,
Si mihi rex dederit, quæ Tibi verpa dedit.

LIBER

LIBER IV.

Ad Magnif. & Nobiliss: Dn.

Ioachimum Transehium Residentem Regium in aulâ Brandeburgicâ.

ERige Te, mea mens: & adhuc sunt Numina cœlo,
Atq; animæ terris, quæ Tua teXta probent.
Nec Te jam solus, Gothicis qui præsidet armis
Asserit Axelius, Nicodamasq; Tuus:
Accessit tamto pietas Transæa favori.
Pergere quid dubites? Te Charis omnis amat.

In Merlinum.

SErta, sibi carâ quæ primus ab arbore Phœbus
Sumserat, Augusti munere dantis habes.
Esse putas aliquid. Certè, Merline, putabam.
Penè mihi opprobrio est, hanc habuisse fidem.
Vidi ego laurigeros sed magnâ mente Poetas:
Et, Merline, Tibi simplicitate pares.

Ad comites in viâ.

SVrgite: jam nocti cristata renuntiat ales.
Hac statione procul, quam via monstrat, abest.
Ecce intrat vitreas clarum jam mane fenestras.
Heus puer, est saturos jungere tempus equos.
Pro tenui potu stramentisq; exigit hospes.
Solvite: ne nostrum caupo moretur iter.

In domum quamdam.

NE Te decipiant formosa palatia tecti,
Vt credas totâ crimen abesse domo.

Illa quidem Nini vel conjuge digna fuissent.
Hoc malè, quòd propiùs nemo cacare potest.

In quemdam.

CVm Mystis aliquid commune fovere Poetas
Dicis; & hinc optas fœdus inire meum.
Est aliquid certè, quo nos conjungimur uno.
Est; quo sunt Mystes atq; Poeta pares.
Vis illud? nemo Vates impune lacessit:
Nemo Dei Mystas. Aspera turba sumus.

Ad Biancam amicam.

AMabo Te, Bianca, quis Tibi dixit,
Amathuntiam senile pectus odisse?
Cuiq; albicat rarus capillus, hunc castris
Arcere militem? Bianca, tam falsa es,
Quàm Mulciber, formosa cui datat Cypris,
Vtroq; timporum tholo satis canet.
Puerine garruli, Bianca, complexu
Aut osculo robur virile metiris?
Viridis senecta tolerat æquiùs Martem,
Nec lenta succumbit: fatiscit hæc ætas,
Cuî fiditis nimiùm, puellulæ molles,
Calor ut resedit incitus. Sedet virtus
Hac pectorum compage, quam ferox cingit
Acinaces & baltheus, decens vestri
Ardoris acrem pertinaciam. Nempe
Rigente mento offenderis. Calet pectus,
Subq; umbilico sæpe quod riget. Scis Tu.
Nec hoc, Bianca, astrictiore si nervo
Riguit, Priapi testor inguen, occentas.

Ad eamdem.

Eia, cara Bianca, Tune questa es,
Morosum satis esse me Poetam,
Quòd nec Bilbilicæ salem Camœnæ
Defricem, neq; de Catulliano
Sumam particulam trahamq; naso,
Nilq; Marmaricæ venusta Musæ
Ad deliria conferam leporum?
Morosus Tibi sic Poeta dicor,
Si nil nequitiis Catullianis,
Doctis nequitiis nec inficetis
Apponas olei Zameliani?
Ne Tu ne redigas ad hanc amussim
Divinas animas, Bianca, Vatum.
Ne Parætonii modos Poetæ
Decurram tenero leviq; plectro,
Neu naso olfaciam Catulliano,
Aut quid Bilbilici frequentem aceti,
Conantem prohibent gravis cothurnus,
Et vitæ ratio severioris.

Ad eamdem.

SI quid, Bianca, me voles; Tu jusseris.
Per supplices ego obsecrabo Te preces,
Præstare si Te voluero gratum mihi.
Sed feceris, ut sis mihi exorabilis:
Et hoc, Bianca: Si quid imperaveris,
Id tale sit, quale impetrari optaverim,
Atq; impetrem per mille supplices preces.
Iube, Bianca, ut Te osculer ter & quater;
Iube deinceps, svavier Te ut ampliùs,

Et si quid amplius voles; Da mî obsecro
Mille osculorum, & quod rogavero amplius,
Per mille quamvis milleq; alteras preces.
Quàm grata res, rogare multùm & perfrui!

In Nursium.

INvitas numquam, nisi pulcra corallia, Nursi,
Aut virides smaragdos Iasponychasq; roges.
Aut petis argentum, quod nobis abstulit alter:
Quove gravat loculos functio lauta Tuos.
Invita Crassos, si sunt Tua prandia tamti.
Has Tibi promitto, quas dabit Irus, opes.

Ad Biancam.

AN satis esse negem, si reddas oscula nobis;
Nec des, quod deinceps posco, Bianca rogas.
Naso mihi est autor, si non & cætera sumam;
Quæ dederis, dignè non potuisse dari.

In Pipillum.

QVid Capuam vidit, Cumana quid antra Pipillus?
Quid calidas Bajas, ingeniumq; loci?
Quid caveâ sedit, populi quâ reddita vox est,
Applauditq; suo maxima Roma duci?
Quid stupuit, si quas attollit Hetruria moles?
Quid Venetas arces, Ioniosq; sinus?
Quid populos adiit prono sub Sole calentes;
Templaq; descripsit, marmoreosq; deos?
Non habet ipse Larem. Posuit nova limina nuper:
Imposuit tectum. Proruit aura domum.

Ad Biancam.

Sequitur

Sequitur heic Iov. Pontanum in Hendec. ad Hermionen lib. II. Bajarum.]

PRædico: tege surulas, Bianca:
Nec coràm tenerum pedem revinci.
Ne pectus juvenum flagrans lacessas.
Me quem prima facit senecta tardum,
Cuiq; æstus prohibet ferociores,
Irritas pede purpurante: qualem
Altè prostituis, tenusq; crurum:
Dum puram soleas nivem æmulantes
Astringis ligulâ nitente. Quare
Prædico: tege surulas venustas,
Nec leva tunicæ fluentis oram,
Vt liges soleam tenace vinclo.
Nam quid purpureus color renidet
Ornati pedis, infimæq; plantæ
Albens calceolus, vagæq; circùm
Læto fasciolæ virore tinctæ,
Auro fasciolæ rigente pictæ,
Illæ fasciolæ pedis superbi,
Illæ fasciolæ pedis superbæ?
An vis dicere: comprehende suras?
Numquid hoc quoq;: tange crus supremum,
Admissâq; manu sinus pererra?
Tene attollere floridos amictus;
Atq; ostendere, quod tegunt amictus;
Formosas sceleasq;, calceosq;,
Talorum orbiculosq;, surulasq;,
Totum deniq; crus, genuq; eburnum?
Hoc est dicere: sume, sume: cedo.
Hoc est, prolubium ciere amantum.
Quare aut contege surulas venustas,

Nec coràm tenerum pedem revinci.
Aut senex licèt hæc & illa tangam,
Et quæ svadet amor jubetq; sumam:
Ne poßim Tibi segnior videri.
Posses Nestoreum movere penem,
Vt cùm sustuleris pedem elegantem,
Arrepto pede se in sinum penetret.

Ad Dianam.

CVm Tibi rete sit hoc Dictynna, quod arma Gradivo,
Fortiùs & poßit Mars jugulare feras;
Sola quid aggrederis nec cognita lustra ferarum;
Nec Tecum comes it, qui gerit arma, deus?

Ad amicum.

VEnit, amice, meas modò vir digressus in ædes;
Cuî vaga cæsaries, splendida vestis erat.
Pendentes manicas ex auro limbus obibat:
Pelle pedes niveâ cinxerat, ense latus.
Esse putes aliquid, nec parvæ sortis alumnum.
Nulla fides vesti. Ludimagister erat.

In Buphilum.

QValis gleba mei sit ruris, Buphile, quæris:
Lanigero vireant qualia prata gregi.
Quales piscinæ sint cum salientibus undis:
Qualibus assurgat cædua silva jugis.
Deniq; quot capitum pecori quàm grande sit uber.
Ipse Tibi gravis es, Buphile. Vendo nihil.

Ad Musam.

MVsa jaces; quàmvis mirentur carmina Reges:
Quàmvis nostra legant carmina, Musa jaces.

Arma

Arma ducum cecini, partosq́; ex hoste triumfos,
Quicquid & optatæ munera pacis alunt.
Sæpe suâ fessum demulsi Cypride Martem.
Laudarunt Reges: at mea Musa jaces.

Ad villicum.

VIllice, vade foras. Quid Tu mea prædia cures?
Iudice Te præstent cornua longa bovem?
Vnde Tuum hoc sapere est? quis erat, qui somnia primùm
Venderet hæc animo, villice barde, Tuo?
Rectiùs è culmo fœcundam nôris aristam:
Rectiùs è foveâ, quam tegat illa feram.
Res alia est, taurum si cornibus anteit urus:
Immani superat tergore, ventre, thoris.
De cicure armento, de pastu, Villice, sermo est.
Tu validum è cornu conjicis esse bovem.
Erres de patriâ, de totâ stirpe Tuorum;
Rem pecoris nosses, munere dignus eras.

Magnif: & Nobiliss: Dnõ Ioan. Nicod. ab Ahausen Comm. R. Gen.

VEnisti, & nostros potuisti spernere plausus?
Mittere nec reditûs nuntia signa Tui?
Improvisus ades: nec si gratissimus adsis,
Te rediisse domum, rumor in urbe fuit.
Candide Nicodama, cùm fortè monerer ab uno,
Qui fugit hæc, dixi, jam puto Numen habet.

Ad Musam.

SAlvus adest, cujus didicisti Musa favorem,
Nicodamas: Teuto quem colit, Arctos amat.

Reddidit hunc heros, quem Martia signa moventem
Suspiciunt eadem pectora sive timent.
Quæres ex ipso, quàm rectè transigat ævum
Ille, aliquid nugas qui putat esse meas.
Hoc quoq; quàm conjux, quàm filia parva fruantur
Hoc Iove, quàm soceri sint sine nube dies.
Deniq; si curis gravioribus eximat illum
Lux qua, Tuo Vati possit an hora dari?

In Papulum.

IVs populo dicis: dictat Tibi, Papule, conjux.
Mittimus uxori munera nostra Tuæ.

In Nigellium.

E saxis nostrum genus asseris esse, Nigelli,
Et grati quereris moris habere nihil.
Aut Pirrhæ jactus responsaq; mitte Themistos,
Aut nihil emenda. Quid Tibi saxa dabunt?

Ad cives Elbingenses.

QVamta, viri, nostram contagio venit in urbem!
Momento periit dimidiata tribus.
Ne tamen, ô cives, animis horrescite totis.
Explebant totam pectora bina tribum.

In quosdam militum præfectos.

PEctora vestra rigent: riget auro vester amictus:
Et riget à multo frigore calo miser.
Ille quidem non his, quæ portat, idoneus armis
Extenuata fame membra sitiq; trahit.
At vos luxus iners & comta juvencula frangit.
Hoc est, ut pereas, perdere Regis opes.

De Servatoris nostri dicto, quo puerorum similes nos fieri jubet.

Esse puer voluit, qui nos infantibus æquat,
Quotquot suspicimus, quem colit ille, polum.
Mitte, anima, excelsos motus, excelsa professos.
Qui pueros sequitur, veriùs astra sapit.

Ad virum Præst. Daniel. Visnerum M. D.

Postquam defuncti laudes celebrare receptum
Ædibus in sacris; Tartara nemo petet.
Sint, quos Lethæum transmittat portitor amnem;
Flectet ad Elysium tota caterva nemus.
Nil valet in crimen, quod avarum mergeret Orco:
Ad cœlum rectà fur & adulter eunt.
Arduus est æther. Mecum hoc, Visnere, putabas.
Quæ cœlum aspirat, mens ea labe caret.
Vt pereant miseri, quos talis buccina movit,
Se quoq; non dubitant posse placere Deo.

Clariss: viro M. Balth. Voidio Past. Eccl. Elb.

Tune Helicona meo ponas in corde, Voidi,
Intonsumq; deum, Castalidasq; novem?
Et totidem fontes, quot turba Poetica Musis
Consecrat, & laurus Aoniumq; nemus?
Parce, precor. Non hanc capiunt mea pectora molem.
Tot rerum nobis vix levis aura data est.

Præstant: viro Christoph. Reimano Past. Eccl. Elb.

Ad Te promitto. Tu nostram admiseris umbram.
Vmbra mei ingenii est: non erit umbra gravis.

Pone dapes modicas, & vinum simplicis uvæ,
Aut in quo nati corda Borussa sumus.
Scis animum geniumq; meum, Reimane, quid urat.
Luxum odi: moris sit Tua cœna mei.

In album politissimi viri Christ. Alti Ecclesiastæ Elb.

AN Tibi vis nitidos maculem, vir culte, libellos?
A gruibus didicit pingere nostra manus.
Vis num, quale canit permistus oloribus anser,
Apponam doctis carmen agreste modis?
Hoc amor, Alte, tamen Tuus in me poscit & urget.
Accipe, quod varum quod triviale damus.

In Romam.

QVid Capitolinus Romanis profuit anser.
Dum strepitu Gallos dixit adesse suo;
Si, postquam Latium moverunt scripta Lutheri,
Anseris ad calamum Martia Roma pavet?

Ad Patres Elbing. Coll. amiciss.

SOrte suâ varium salvi tamen egimus annum.
Sint placidæ mentes, ingrediente novo.
Mite meum ingenium est: qui nulli admissa remitto.
Vestrûm in me, Patres. Nulla fuisse puto.

Thalamo Paulli Gedeonis.

PAullo Flora datur (fatis vos credite amantes)
His tamdem Paullo credita Flora suo.
Sex hiemes frustra pugnabat concita mater,
Cedere septenâ messe coacta Deo.
Ergò, inquit Gedeo, pulcros solvamus amores;
Quid feci? generum Te volo, mater ait.

Reverendis & Clarisſ: viris M. Ioanni Fortumano P. L. & SS. Miniſterii Varnigerodæ Seniori, nec non Balthas. Voidio Paſtori Drubecenſi ad Bructerum.

NOn ego nunc curtis dicar placuiſſe Poetis,
Si Fortumano Voidioq́ probor.
Fama mihi veſtros retulit nec ſola labores:
Vidi ego, quo Famæ venit uterq́ domum.
Vivite vos animæ: quarum mihi ſufficit unguis.
Tu mihi Calliope, Tu mihi Phœbus eris.

Iano Burcardo P. C.

SI tenero gaudes inter convivia turdo,
Burcarde, & cæſi parte recente bovis;
Succedes noſtro ſub prima crepuſcula tecto,
Ac multo carpes fercula pauca ſale.
Addam Piceni canentem ruris olivam:
Conciſus dabitur pullus in oxymeli.
Longior vt poſſit ſimplex Tibi cœna videri,
Adſtruet exiguas meta ſuprema moras.
In cyathis dapium neglecta impendia ponam;
Et Tecum toto, Iane, triente bibam.

Ad Biancam.

HÆc mihi, quæ condo, nuper munuſcula miſit
Hircius ex hortis poma gemella ſuis.
Fortè, Bianca, rogas; ea quare munera ſervem.
Æmula ſunt pomis hæc duo poma Tuis.

Ad cives Patriæ.

TOt nutrire canes, minus ut ſit in urbe virorum;
Vt vincat numerus pectora noſtra canum;

Vt

Vt somnos abigant, & sub Iove verba loquentum
Auribus admitti guttura dira negent;
Turpe, mei cives. Turbæ satis errat egenæ:
Munere quam vestro pulcrius esset ali.

Ad spectatiss: virum Danielem Visnerum Phys. Reip. Elb. Ordin. amicum conjunctiss: de prædiolo recens comparato.

QVid Tibi de nostro, Visnere, videtur agello?
Heic steriles glebas, quà juga tollit, habet.
Crede mihi, studiis Musarum hæc damna rependam:
Ac quo soler eas, hic mihi collis erit.
Heic Aracynthus & heic parvus, Visnere, Citheron
Surget; & Aonium fistula ludet opus.

In Marculum.

MVnia clara geris: sed jure hoc, Marcule, quo nos
Hæredes regni vult Deus esse sui.

Epithalamium juvenis Præstantiss: Greg. Alséi & Christinæ Ratléidos Virginis cultissimæ.

QVid fugis in solas, virgo temeraria, silvas?
Nemo Tibi silvis dixit inesse feras?
Illa sed hæc: animus tectis erat ire paternis.
Exeo. Sic silvas incomitata peto.
Formosum nemus omne fuit, quacumque ferebar.
Arboris unius carior umbra fuit.
Heic ego fessa cubo. Vox ilice fertur ab altâ:
Sive errore venis, seu Tibi caussa viæ est;
Grata deo nemorum es, nymfarum maxima luco.
Sit Tibi, ne dubites, regnum in Hamadryadas.

Dum

Dum tremo, facta fides. Animos Alsëides addunt.
Hæc mea jam turba est: jam nemus omne meum.
Nymfa suas habitet, quibus optat vivere, silvas;
Grataq; de plenis frundibus umbra cadat.
Illa obeat sacros virgulta imitantia lucos:
Crescat & ut quodvis rectiùs, ipsa colat.
At Tu ne pereas ut Hamadryas arbore cæsâ:
Donec erunt silvæ, Tu dea semper agas.

Ad Iuliam.

QVòd bene composito niteas, ô Iulia, cinno,
Et Tua purpureus temperet ora color;
Ex illo laudem debes sperare modestam.
Et formosa satis. Iulia, Thaïs erat.

De supen Germanorum.

TEutonicus potor quia se cervice supinat;
Inde supen dixit, quoties ad pocula ventum.

In libros IIII. de contemtu mortis Excell: v. Dan. Heinsii.

NOn potes, Heinsiade, solus contemnere mortem.
Illius excussi Te faciente metum.

In Sarrium.

FAma est, funestas Sarri Te scribere pugnas.
Credibile est. Faciem bella gerentis habes.

In Marciam.

MArcia cùm nollet mihi nubere, prætulit ortus
Majoresq; suos, & sine plebe domum.
Deërat in urbe meâ, qui posset ducere ceu par.
Quæris, cùi tandem nupserit illa? coco.

LIBER V.

Ad Lectorem.

QVid mihi contulerint, Lector, mea carmina, quæris?
Iunxerunt animo plurima corda meo.
Quid tamen hoc præstet, si porrò attenderis, edam.
Axelius nobis Nicodamasq; favent:
Transæus meus est. Sunt hæc tria pectora tantùm.
Cui tamen illa favent; hunc, puto, mundus amat.

In Graculum.

NOn ego solus ago (mentiris Gracule de me)
Quotidie Musæ sunt mea turba novem.
Quotidie scribunt, mecumq; loquuntur amici:
Aut doctis adeo corda sepulta libris.
Est & cum parvis jucunda Quiritibus uxor:
Inq; meâ sæpe est garrula pica domo.

In Protum.

CVm clavâ incedis: pellem Tibi sume leonis.
Hoc cultu Alciden, Prote, referre potes.

Ad Patriam.

Cùm pacis tractationes inter Sveciæ Poloniæq; Reges ab utriusq; Regni Delegatis expirante anno M. DC. XXXIV. suscipiendæ essent.

OXenstirniades *magni patris ardua proles*
Janus *adit portus, Drusis amica, Tuos.*
Et Pacem & Pacis Cererem præmisit alumnam:
Ipsi ambit sacrum pingvis oliva caput.
Ponè subit belli facies atq; arma ferentum.
Dic: Pacem his terris assere, nate diis.

In Croterum.

QVid, Crotere, quid hoc ineptiarum?
Versus scribere diceris, novemq;
Musas Aonio ciere clivo.
At si mens Tibi, quæ solebat esse,
Debes non aliter cavere fontes
Rupis Aoniæ, nemusq; sacrum,
Et deas nemoris novem Camœnas,
Quàm Cadmus faciem minasq; patris;
Alcidæ Furias manusq; Cacus:
Quàm sub Iliacis caterva muris
Pelide metuit furente Martem:
Quàm Scyllam cavet & timet Charybdin,
Qui radit Siculi latus Pelori:
Quàm lassus fugit impigram viator
Conspectam mediâ viâ leænam.
Palladem potiùs severiorem,
Sermonesq; coles gravis cathedræ,
Et fori streperum sequêre vulgus.
Peligni lepidos relinque amores,
Et cum passere basiationes
Catulli procul à severitate
Catonum atq; Calabridum remotas.
Te socco posito theatricorum
Et spreto caveæ, Crotere, plausu
Grajorum decet Ausonumq; leges;
Seu Sol purpureum diem reducat,
Seu nox occiduum diem recondat;
Volvere, & memori notare mente.
Et tamtùm populi vacare caussis,
Quare judicium secute nostrum

Fontem Castalium, nemusq́ sacrum
Rupis Aoniæ, deasq́ vita.

Netricem, Lotricem & Meretricem ejusdem generis esse.

REgula Grammaticis proponitur una libellis
Nomina in IX referens ad muliebre genus.
Hoc probat exemplis: occurrit sedula Lotrix,
Ponè locum Netrix cum Meretrice tenet.
Pingite acu castæ, quibus hæc non dicta, puellæ.
Totum à Grammaticis sumeret hoc Ethicus.

In Cascam.

MVltùm sollicitas; & hæc & illa
Donem Casca Tibi: vocasq́ nunc hæc
Seu papyrina seu minuta dona,
Nunc illud leve viliusq́ raudum:
Et premis cubito, & rogas subinde,
Num dormituriem nec annuendo
Nec hilum modò, Casca, mutiendo.
Casca, desine tot molestiarum.
Nam dormiturio Tibi petenti,
Qui dormituriem nihil petenti.

In fœneratores.

DAmnum est apertum, si interesse dicitur.
Nil imminutum est, si rogarunt pauperes.

In Godericum Poëtam Germanicum ad Magnif. & Nob. v. Joan. Hagm. Consil. Pom. D.

LEgi ego Teutonicum sed per segmenta Poetam.
Ne totum legerem, res vetuêre meæ.

Antè

Antè mihi toto Phoebus decedat Olympo;
Percurram numeros quàm, Goderice, Tuos.
Ingenium magni vix Tu præstabis Opit I.
Tale mei punctum Nicodamantis erat.
Tale Hagemesteri, quem non tam pulcra senectus,
Quàm virtus populo Principibusq; probat.
I liber. Vt vellem faber hæc Tuus audiat ex me:
Si vigor annorum est, fac meliora puer.

In Fundulum.

SAt Tibi verborum est, vulgi cùm pectora mulces.
Testibus his, habuit nostra nec ora parem:
Vnus erat Romæ, quondam fuit alter Athenis;
Qui Tecum in partem, Fundule, laudis eant.
Texta Tui ingenii mittis mihi pauca: remitto.
Sufficit ut solo cum Cicerone loquar.

Ad mentem suam.

PRoxima mens cœlo est, quæ concipit ætheris ignes.
Cui Deus in fibris, proximus ille Deo.
Mundus iners sequitur, quod transit & interit ævo,
Mens mea. Perpetuum Tu meditare Bonum.

In Paullum.

ESse nihil dicis, servo quod dicis in aurem.
Est aliquid; si non sum Tibi, Paulle, nihil,

In ambitiosum.

IBo sub Arctoum, quà Thule est ultima, Solem;
Quàq; tenet mundum torpor inersq; gelu:
Et rigidos patiar spoliatus veste Triones,
Vt cineres olim nix tegat alta meos.

Ne caput hoc tolerem fastumq́ immane loquentis,
Quod rude, quòd solas cogere novit opes.
Aut illum venerer nec fronte nec ore merentem,
Cui genitor Corydon, Bucola mater erat?
Hei quò pervenit Vatum res! cedere laurus,
Et servire sibi barbara corda jubent.
Ne peream indignè, si vultum videro, Musæ;
Occursu vasti me prohibete viri.

In Medicum.

IActârat Medicus: res est mihi parva, Zamell
Et studia & motus ingeniumq́ sequi.
Tractabat versus, totumq́ Helicona ciebat:
Vox quoq́ cum facie tamta moventis erant.
Sume novem Musas, sic nuper dixerat ægro,
Tres Phoebi scrupos ac duo grana Iovis.

Tumuli XXX.

I. Aquilæ Aristotelicæ.

QVòd si naturæ tamtum est in viribus, uno
Vt partu archetypum prodeat ingenium.
Acta illa est ætas, quâ totum hoc transtulit in se
Quæ Iovis & magni est ales Aristotelis.

II. Iulii Cæs. Scaligeri.

SEcula Cecropium stupuerunt prisca Lycéum,
Hoc rapuit nuper Musa Latina decus.
Ne nostra invidiam lugeret Numinis ætas,
Sacra sub Occiduo Sole refulsit avis.
Hæc urna, hi cineres numquam pereuntis Iull:
Quem genius comitem nominis alter habet.

III. Bartholomæi Kekkermani Præcept. fideliss.

Ingens

INgens Scaligero jam Te suffecerat Orbis:
Iamq; animæ audieras & cor Aristotelis.
Virtutem mundo magnam invidêre sorores
Fatiferæ, ut nostro illuxerat Orbe recens.
Parva manus flemus Te, Kekkermane, receptum
Hoc tumulo: in fletu pòst quoq; mundus erit.

IV. Francisci Petrarchæ.

PEtrarchæ cineres cineres hæc marmora condunt:
Cui laurum exornant mens cata, larga Sais.
Miretur veterum series hunc longa Sophorum,
Inq; suo numeret laudis avara choro.
Cùm pulcro miseras relevet solamine mentes,
Solatur manes gloria rara suos.

V. P. Ovidii Nasonis.

HOc Cytheréa loco Nasonis funera flevit:
Romanæ, ut venit nuntia fama, nurus.
Artificem teneri claudit rude marmor amoris;
Virtuti Scythicæ quod posuêre manus.
Perdiderit Vatem dubites lascivia morum,
An sit ab ingenio perditus ipse suo.

VI. Patris Friderici Zamell, Matris Elisabethæ Curradiæ, Fratris Cyriaci Zamell, Sororis Christinæ Zameliæ.

in æde Conv. Dominic.

HOc tumulo genitor fraterq; sororq; sepulti.
Funera Christinæ prima sororis erant.
Cyriacus patrem mecum extulit: ille secutus
Tempore pòst modico. Deniq; mater obit.

Plus

Plus habui fratrum: nec deërat turba sororum.
Ex illis natu maximus unus ago.
Tres juncti sunt hac ipsâ, quâ diximus, urnâ.
Majori cæpit mater in æde locum.
Sit requies vobis: quibus hanc ego debeo vitam,
Hæc studia: & vobis frater & alma soror.

VII. Sororis Elisabethæ Zameliæ.

VXor Elisa Ratlæ, Vatis germana Zameli
Heic jacet. Et cineres hæc habet urna viri.

VIII. Samuelis, Nicolai, Achatii } Zameliorum fratrum. Reginæ prioris, Reginæ junioris } Zameliarum Sororum.

PArva Zameliadæ clauduntur pectora fratres
Hoc tumulo, Samuel Nicoleosq; minor.
Parte sub hac terræ parvus requiescit Achates,
Bis septem soles cui superesse datum est.
Hac Regina jacet, tum quæ cognominis illi.
Sit vobis mollis, vos bona corda, quies!

IX. Theodoræ Alséæ uxoris pr.

MArmore Te condo primi Theodora mariti.
Ponè Tuum fient nostra sepulcra latus.
Non poteras odisse virum, si sedula conjux
Assiduo libris non bona verba dabas.
Plurima cùm possent ferri, me ferre negabam:
Asserta est verbis cùm mihi caussa viri.
Rem bene curabas: pulcro Lare, divite mensâ
Viximus; & cultum pressit uterq; thorum.

Sed venia est. Cælo Tecum mihi vivere detur,
Jussimus ut jungi funera nostra Tuis.

X. Catharinæ Anemomyliæ uxoris secundæ.

HÆc Anemomyliæ busta sunt Charilτidos,
Quam conjugem Vati dedit Zamelio
Borussa Parthenope; modestum, scitulum
Et osculum & pectusculum: quo cum foret
Dulce ævitates agere plurimas: aha!
Bis octies orbem redintegraverat
Diana noctiluca, cùm puellulo
Me fecit edito patrem, sed hoc meum
Carissimum decus meis complexibus
Divulsit, umbrisq; addidit fugientibus.
Vive atq; age ætheris beatis in plagis.
Cinerum Tuorum pars ero, Te consequar.

XI. Nymfæ Zamelianæ.

HEic mea nymfa jacet: tumulo quam condidit alter.
Summa dedit nobis oscula, summa tulit.
Nec, mea nymfa, Tuam referar defunctus in urnam.
Quid tum? quâ Tecum vivam, erit illa dies.

XII. Mormûs.

HUc monstrum illatum est. quæris? genipendula Mormo;
Ac quod tota fuit, pallor & invidia.

XIII. Ducis.

ILle ego, qui solà nomen virtute paravi,
Firmavit meritam cui sua dextra fidem,
Heic jaceo turbæ nunc fabula, lusus, inerti;
Ad fatum expendit quæ mea facta suum.
Cujus cum brutis est vita atq; exitus idem,
Me major genius servat ab interitu.

XIV. Nobilis.

NEglexit celebris ferri splendore parentum,
Laudatæq; gulâ condere gentis opes.
Bella manu gessit magnum post ductor in hostem,
Vulneraq; adverso pectore multa tulit.
Cùm turpi sumtu cognatio longa periret?
Ad superos illi gloria fecit iter.

XV. Viri juvenis.

HEic me infelicem fratres posuêre maritum:
Cui mortem conjux accelerârat anus.
Sæva meis annis voluisset parcere Clotho:
Sævior hei vitæ stamina rupit anus.

XVI. Leporis galeati.

COnditus heic lepus est. Hominis perjuria vani
Sola fuêre. Bipes & galeatus erat.

XVII. Mendici.

ECce ego, quem cœli plùs unum injuria læsit,
Heic pluviam & ventos sperno nocensq; gelu.

XVIII. Obærati.

NOmina qui fecit tabulis obnoxia semper,
Heic jacet, hac demum parte quiescit humi.
Regna subibo lubens squallentis dixerat Orci;
Si ceram & tabulas non habet ignis edax.

XIX. Tutoris.

PErfidus hoc tutor tumulo surgentis arenæ
Otia lascivæ jussus amare gulæ est.

Soli deducto pupilli funere flebant:
Queis censum & patrias ille vorârat opes.

XX. Ludimagistri.

Conditur heic Melior parvi pars maxima ludi:
Qui tenerum docuit prima elementa gregem.
Sæpe supinato depleverat ore culullos:
Sæpe mero zythum deficiente bibit.
Hæc dici poterant: nec debent illa taceri;
Quòd rectè tulit hæc quæ mala ludus habet.

XXI. Patris familias inertis.

Non infensa suo qui tempore Numina vidit,
Heic jacet. Vt felix exitus ille fuit!
Tunc primùm accepit gelidam intra viscera mortem,
Viscere cùm generis contumulasset opes.
Flentibus hæc pueris dixisse novissima fertur:
Parcite, si nondum mors mea crimen habet.

XXII. Erycis.

Nequicquam, pugiles, fallaci creditis arti.
Sic dixit moriens heic tumulatus Eryx.
Nam cestu melior multorum lumina clausi.
Nunc ecce Herculeis cestibus intereo.

XXIII. Galli gallinacei.

Si quoq; parva meret virtus sua præmia, si fas
Pendi pro meritis; heic sua gallus habet.
Pellere nos somnos annosâ voce jubebat,
Vrgens non dubio tempore lucis opus.
Frigentem senio diræ violentia brumæ
Sustulit. Hæc pietas nostra sepulcra dedit.

XXIV. Catelli.

FLete preces solitæ contemnere flentis egeni,
Et tenerâ nanas carne fovere canes.
Delicias, dominæ, vestras & sindone mundo
Et loculo clausas hoc breve marmor habet.
Serva manus læti foderet cùm cespitis agrum,
Non erit in fatis hic mihi, dixit, honos.

XXV. Vinosi.

SIlenus nostras aut Bacchus venit in oras.
Namq; heic aut Bacchus conditus aut puer est.

XXVI. Vetulæ tenacissimæ.

HOc marmor vetulæ nati posuêre triparcæ;
Cui sanctum, solas condere divitias.
Has etiam impensas fieri post fata negârat.
Invitæ datus est tam pretiosus honor.

XXVII. Amphoræ.

AMplus in hoc tumulo vir conditur, Amphora dictus.
Hoc meruit, si quid poterat meruisse, Bonosi.

XXVIII. Asini bipedis.

HOc monumentum ingens asini est cum pelle sepulti.
Profuit huic, quatuor non habuisse pedes.

XXIX. Mathonis.

MActe animo, irati pressit quem lingva Mathonis.
Hac nihil, ô cives, mitius esse potest.
Tam bene compositum probat hoc sub marmore pectus;
Vt populus tamtùm fata Mathonis amet.

XXX. Latronis.

Horri-

Horridus & cædis sitiens inculta colebat,
Qui jacet heic. Tutum perge viator iter;

Ad Patriam,

cùm Delegati Sveciæ Regni ad tractandam cum Poloniæ Proceribus pacem appellerent.

Missus ab Arctoo Comitum stirps incluta mundo
Petrus adest: primus cœpit inire viam.
Axelii genus Axelius subit, huncq; secutus
Oxenstirniades hæc loca Ianus adit,
Sarmaticum Gothico jungant qui fœdere Regnum,
Succedent muris, patria cara, Tuis.
Nonne vides oleas, & amicæ frontis honorem?
Hunc habitum hunc vultum? pacis is esse solet;
Hospita tecta dabis: quæ sunt præstanda deinceps,
Si deêrunt; animi fac pietate leves.
Quid rectè excuses, populus non nescit amicus.
DIs geniti veniunt: sola modesta probant.

Andreæ Damalpino.

Dlligat hinnuleus, tollit quos Rhetia, montes:
Erret & Alpinis plurima dama jugis,
Damalpine, Tibi Pindum monstramus, & illud
Bacciferum Phœbi, quod colit ipse, nemus.
Crede mihi, quicquid promittat turba Quiritum;
Absolvet laudes Græcia sola Tuas.

In Daphnopolas.

Turpe est, indoctas lauru præcingere frontes:
Turpe est, indoctæ munus id esse manûs.
Non mea præclaros sugillant carmina Vates:
Damno rudes animas laurigerumq; pecus.

Stabit & Augustum tali me judice culmen:
Ne sit idem scurris Cæsaribusq; decus.

Thalerus.

VAlligenæ veniunt argentea munera numi,
Tu valli nomen das, Ioachime, Tuum.
Valliculas omnes & monteis anteit omnes,
Si qua potest tales mittere vallis opes.

Spectab: & Amplifs: Dn. Ioanni Fenningio Burg. Mariæb. Consiliario Elect: Brandeb.

IAne meus socer est, qui Te Præconsule fasces
Subsiduâ nuper jussus adire manu est.
Vtraq; fama meas gratissima venit ad aures.
Hic socer est, longus Te mihi junxit amor.
Expediam votum, traheret quod pluribus alter.
Optavi socero, quæ Tibi cuncta precor.

Rever. & vigilantifs: viro Ioanni Vendelino de Rhodâ Ecclesiastæ M. Elect. Br.

TEmporis exiguum est, quo Vendeline vacavi,
Qualia Tu peragis Numine digna, sacris.
Optabam interea mutari totus in aurem:
Optabam gratæ plus superesse moræ.
Concio docta Tua est, sanæq; accommoda vitæ.
Vana fides nostra est, hæc nisi Christus amat.

Eximio industrioq; viroMart. Volmaro M.D. amico.

QVis Volmare neget? non sic stat fœderis usus.
Veni ego: nec flexi sub Tua tecta pedem.
Da veniam, qualem dat caussa rogantis amici.
Est gravis, & longas amputat illa moras.

Dicebam socero pronâ jam luce salutem:
Nunc jubeo socerum mane valere novo.

In Codrum.

QValis sit Chius, de quo proverbia, risus;
Codre, rogas. Ex Te discere, Codre, potes.
Fac quod sæpe soles, quod Chii sæpe solebant,
Et risu stolido rumpere: Chius erit.

Amor Impurus.

POllutas animas odit sincerior æther.
Horrent illicitas sidera pura faces.
Quisquis ab ætherio spirat cœlestia sensu,
Purus & obscoeno vivit amore procul.

Præst: v. Dan. Visnero Med. amico.

SEmper ut abstineas, nec nostrum limen adires,
Hanc dare Tu poteras, nec violare fidem.
At quas non in spes in quæ non fœdera Tecum?
Singula polliciti verba revolve Tui.
Appello dextram, quam tunc Visnere dedisti,
Corq; Tuum, & si quid sanctius intus agit.
Sæpius ut visas, hac mecum lege coisti;
Sæpius ut visam, mens quoq; legis erat.
Culpa Tua est: non Te tenuêre negotia semper.
Officium feci sæpe ego. Culpa Tua est.
Experiar, quamti faciat Visnerus amicum.
Hei periit dextrâ fœmina virq; meâ!
Tu tege commissum. Gallorum est advena proles.
Visnere, ad cœnam Teq; Tuamq; voco.

In Puellas.

O sæpe

O Sæpe simplices, bonæ viragines,
Nec vafra semper turba, aperta fraudibus
Amantium cùm prima poscunt oscula,
Iurantq; se sola hæc rogare & unica,
Nec se rogaturos deinceps altera,
Nec se rogaturos deinceps amplius:
Optata millies sibi esse hæc unica.
Postquam dedistis hæc rogantibus; datis
Et mille & amplius: datatis insuper.
O sæpe simplices, bonæ viragines.

Ad Illustriss: Regni Sved. Proceres.

NE vos æternùm bellorum incumbite cœptis,
Heroes Gothici, fas quibus arma dedit.
Si vestrum posthac non affectaverit Orbem,
Si pacem optarit Sarmata; tutus agat.
Virgine Christinâ fasces moderante Gothorum,
Ceu perhibent Vates, tempora pacis erunt.

Securitas humana.

OBstupeo, læsi cùm cogito Numinis iram.
O nimiùm miseros, quos dedit illa neci!
Temporis exiguum est, superûm quo accendimus iras.
Mitigat accensas hæc quoq; vita brevis.
His tamen exigitur, quorum corrumpimur usu.
Vix subit, ad cœlum quo teneamus iter.

Præst. v. v. D. Dan. Visnero & Gr. Alséo, conv.

NOn morem odistis, bona pectora, Vatis amici,
Si mea cœna modi nil Saliaris habet:
Si vos non madidi capro fulgente Lyæi
Frango, nec in lusu tempora noctis eunt.

His

His vigilent studiis crudi collegia Fanni:
Iudice quo crimen carminis autor habet.

Ad sororem Elisabetham VI. Id. Mart. an. M. DC. XXII. hac vitâ emigrantem.

CAra Tibi nuper ternæ pectuscula natæ
Languebant: unà vir Tuus æger erat.
Servatus, soror, est superi pietate parentis
Natabus genitor, pupaq; terna patri.
Nam flexêre Tuæ Jovam *lacrumæq; precesq;*
Inq; ministerio dextera cura Tuo.
At Tua cùm posset pietas jam vera videri,
Dum grates pangis, sanctaq; vota facis;
Dejectam morbo jubet hic Te excedere terris,
Exemtamq; malis non peritura sequi.
Serva mentem animi, quicquid Stygis accola dictet.
Ius, soror, in Christi non habet ille gregem.
Nec Te præsentis frangat violentia fati.
Illa via ad cœlum Christi erat: illa Tua est.
Nec Te dilectæ subolis jam cura fatiget,
Cui gentis superest plurima turba Tuæ.
Qui generi alituum nobisq; alimenta ministrat
Omnibus, hoc vivet præside parva manus.
I præ, cara soror: jamq; hic jamq; ille sequemur:
Quid metuas? Christus Te Tuus ire jubet.

Ad Sabinum.

MEra est precantium, Sabine, vanitas;
Qui congerunt precatuum velut strues,
Quasiq; obaudiat Deus, plura adstruunt.
Nam si quietâ mente prorsus exigas

Curam improbam almo feriatus Numini;
E fonte identidem Mali repullulat,
Mentemq; vanus noxiam ardor afficit:
Tum dicta si inconsulta calculo suo
Illa approbat, quamta est Dei indignatio!
Cujus verendi Numinis celebritas
Verbositate vilitatur impiâ.
Precibus vacantem me, Sabine, summula
Exercet una pensitata plurimùm,
Quâ vota Christus omnium complèxus est.



De Clariss: Borussiæ Poetâ, Ampliss: viro *Friderico Zamelio.*

CEdite Romulidæ, Galli concedite Vates:
Quos cœli & Solis mitior aura fovet.
Est aliquid, vivace cedro vos digna locutos,
Qualiaq; Aonisin dictet Apollo novem.
Volvite Hyperboreo Philyran Mavorte receptam,
Piscantûm Musas, plenum Epigramma sale.
Vt sapiunt vobis, quæ scripta Zamelius autor
Edidit (invidiâ judicium careat)
Hîc ubi Parrhasio sub sidere Prussia friget,
Et pro Castalio Vistula fonte fluit?
Qualia Drusicolæ prostarent texta Zameli,
Sulmone & Latiis si foret ortus avis?
Hinc sua tam longè distantia Naso fatetur,
Quæ sibi sint Romæ, quæ sibi scripta Tomos:
Sed quæ de nobis in vobis spargitur, auræ
Si qua fides, si qua est; cauta sit illa fides.

Fama

Fama quidem multos sed paucos vera secuta est.
An sim inter paucos, anxia mens dubitat.
Proderit interea mihi calculus integer in me,
In motus animat qui mea sensa novos.
Qualem vir mittit nostris celeberrimus oris,
Dum fluere sacro Pegasis unda jugo.

M. Ioan. Fortumannus P. L.
Pastor, & S. S. Ministerii Senior Varnigerodæ.

ZAmeli Philuran mecum legêre Poetæ.
Venit & ad nostras Ecloga culta manus.
Vidimus Aonio celebratam Drusida plectro,
Miserat ac Chariti qualia verba suæ.
Vive sacer Vates: quo nil Tua Patria majus,
Teutona nec tellus, aut Latialis habet.

Balth. Voidius sen. Pastor
Ecclesiæ Drubecensis ad Bructerum.

ADmirata suos est ingens Roma Marones;
Vixq; habuit Româ judice Naso parem.
Cessit Hyperboream divina Poesis in Arcton:
Et stupuit Vatem Drusula prima suum.
Audivit vocem Germania tota canentis,
Et quid nunc sumam, dixit, ab Italiâ?

Michael Brodæus Lusat.
I. V. L. & P. C.

VExat adhuc Cæsar nos dira per arma, Zameli,
Nilq; sui decoris perdita Slesis habet.
Attamen in mediis legimus Tua carmina bellis,
Et colimus laurus ingeniumq; Tuum.

O nossem hanc faciem, possem hanc contingere dextram,
Quæ gerit in Vates sceptra sine invidiâ!

Achatius Schindelerus Sil. P. L.

CArmina damnaras: dixisti hoc sæpe Zameli:
Quid mea Castalium pectora Numen habent?
Pro dolor! & flammis Tua sæpe urenda dedisti:
Aut ea cærulei sorbuit unda maris.
Credimus, an stupidum potuit Te flectere vulgus,
Iudice quo nihil est Palladis omne decus?
Asserit ecce Tuas major tutela Camænas:
Et favet ingenio, magne Poeta, Tuo.
Rara quidem res est, iterum spectare Marones:
Rara licet res sit; qui tueatur, erit.
Æqua animos astris hoc Mœcenate, Zameli:
Et Musas animet tam bona causa meas.

M. Balth. Voidius Ecclesiast. Elb.

DE naso sapimus violisq́, argute Zameli
(Legi ego, quæ nuper condita texta dabas)
Nempe jacet melior Codro sub judice virtus:
Et Tua cuî sordent; huic, puto, nasus abest.

Chr. Reimanus Minist:
Verbi d. Elb:

TE, Federice, jubent Cimbri salvere remoti.
Est quòd ames Cimbros, si Gotha corda probas.
Hæc Tibi sola volunt: Danus Te suspicit Orbis:
Iam nomen discunt ultima Regna Tuum.

Levin. Flier. Cimb. Ictus.

FINIS.



